

Friedrich. August H. v. Br. O.



CLARISS. V.

JANI DOUSAE
&
PAULI MELISSI
MUSÆ ERRANTES.

Accesserunt

HADRIANI IUNII LUGDUNENSIA,

Nec non

POETARUM QUORUMDAM PRÆSTANTISSIMORUM CARMINA varia,

JUSTUS GRISIUS ex fugâ retraxit, collegit, ac junctim posteritati edidit.



FRANCOFURTI
EXCUDEBAT NICOLAUS VOLTZIUS,
Impensis Johannis Thymij.
Anno
CIↃ IↃ CXVI.

AMPLISS. ET PRUDENTISS. V.

CONSVLIBVS AC SENATORIBVS REIPUBL. BEROLINENSIS,

M. JUSTUS GRISIUS S. D.



VVM SVPERIORIbus annis, V. ampliss. in Borussiam, ad filios generosi & nobiliss. Bohemi informandos, à Rev. & Cl. PELARGO mitterer: commodùm evenit, ut in Laubanum, Gymnasii Dantiscani Professorem tunc temporis primarium, inciderem. Is quum in omni doctrinarum genere excelleret, in literis verò humanioribus ita esset versatus, ut qui meritò ipsi anteponi queat, habeam neminem: me, quem noverat, à stu-

diis illis haud alienum esse, sed maximam ferè juventutis partem iis impendisse, non solùm carum habuit, verumetiam in ædem recipere amicitiæ intimiorem haud dubitavit. Ex quo factum est, ut & horas sæpè bonas cum ipso jucundissimo colloquio exemerim, & eos apud ipsum auctores viderim, quorum desiderio hactenus mirifico semper flagraveram. Inter cæteros DOUSA & MELISSUS non postremas ferre. quorum Poëmata quum nimio mihi opere commendasset amicus literatissimus, & ad lectionem eorum currentem, quod dicitur, incitasset; haut rebar mihi ipse satisfecisse, si studiosè saltem illos evolverem, nisi describerem etiam, ac descriptos in regionem hanc nostram reportarem. Quod quum amicis hic meis innotuisset, autores mihi fuerunt, ut gemmis, quas ad Balthicum littus collegissem, haut solus fruerer, sed cum aliis porrò communicarem. Ego vero etsi nihil minus cogitarim, quàm de editione eorum, quæ privatum in usum collegeram:

locum

locum tamen petitioni isti eò facilius dandum esse censui, quo majorem exinde fructum ad Musarum alumnos redundaturum spero; quum ab ineunte ætate edoctus sim, à seipsum hominem in nullâ re abire longiùs, quàm si invidiâ laboret, & quæ pluribus queant prodesse, privatis tantum commodis reservet. Ideoq; non tantum illa exire passus sum, quorum mihi copiam, literarum & gentis suæ ornamentum singulare Laubanus fecerat: sed adjunxi quoq; illis alia, quæ pluribus abhinc annis variè dispersa, ex variis doctissimorum virorum monumentis sedulò comportaveram. Quod autem vobis ego V. Ampliss. primam horum Poëmatum partem potissimùm voluerim nuncupare, in caussa est incredibilis quædam, quæ in vobis cervitur, benevolentia, tùm privatim erga me, tùm erga Literas, de quibus & laudabiliter sentire, & benè indies mereri invidendo exemplo consuevistis. Neq; tamen ob id quisquam velim existimet, me levidensi hoc munere, meritis in

dÿs illis haud alienum esse, sed maximam ferè juventutis partem ÿs impendisse, non solùm carum habuit, verumetiam in ædem recipere amicitiæ intimiorem haud dubitavit. Ex quo factum est, ut & horas sæpè bonas cum ipso jucundissimo colloquio exemerim, & eos apud ipsum auctores viderim, quorum desiderio hactenus mirifico semper flagraveram. Inter cæteros DOUSA & MELISSUS *non postremas ferre. quorum Poëmata quum nimio mihi opere commendasset amicus literatissimus, & ad lectionem eorum currentem, quod dicitur, incitasset; haut rebar mihi ipse satisfecisse, si studiosè saltem illos evolverem, nisi describerem etiam, ac descriptos in regionem hanc nostram reportarem. Quod quum amicis hic meis innotuisset, autores mihi fuerunt, ut gemmis, quas ad Balthicum littus collegissem, haut solus fruerer, sed cum alÿs porrò communicarem. Ego vero etsi nihil minus cogitarim, quàm de editione eorum, quæ privatum in usum collegeram:*

locum

locum tamen petitioni isti eò facilius dandum esse censui, quo majorem exinde fructum ad Musarum alumnos redundaturum spero; quum ab ineunte ætate edoctus sim, à seipsum hominem in nullâ re abire longiùs, quàm si invidiâ laboret, & quæ pluribus queant prodesse, privatis tantum commodis reservet. Ideoq; non tantum illa exire passus sum, quorum mihi copiam, literarum & gentis suæ ornamentum singulare Laubanus fecerat: sed adjunxi quoq; illis alia, quæ pluribus abhinc annis variè dispersa, ex variis doctissimorum virorum monumentis sedulò comportaveram. Quod autem vobis ego V. Ampliss. primam horum Poëmatum partem potissimùm voluerim nuncupare, in caussa est incredibilis quædam, quæ in vobis cernitur, benevolentia, tùm privatim erga me, tùm erga Literas, de quibus & laudabiliter sentire, & benè indies mereri invidendo exemplo consuevistis. Neq; tamen ob id quisquam velim existimet, me levidensi hoc munere, meritis in

me vestris pluribus, ijsq; maximis, satisfacere voluisse potius, quàm animi erga vos mei gratitudinem testatam relinquere. Quod si vobis non displicuisse intellexero, fructum amplißimum videbor consequutus, & ad majora posthac alacriùs accedam. V. Berolini IV. Id. August. Anno Servatoris

 clↄ. Iↄ. cxv.




JANI


IANI
DOUSÆ
NORDOVICIS
ODÆ
BRITANNI-
CAE.

IN
ODAS
Jani Dousæ,
V. N.

NE quisquam Batavas posthâc contemneret aures
Antiquæ nimium credulus invidiæ,
Carminibus DUSÆ factum est, & dulcibus Odis,
Quarum adeò Batavis copia cottidiè est;
Quasq; audire velint propiùs, quantum est, Italæ omnes
Nec dubitent Batavæ, si liceat, fieri.

F. D. L.





AD D. ELISABETHAM BRITANNIARUM FRANCIAE HIBERNIÆQVE REGINAM, PRINCIPEM OPT. MAX.

ODA I.

REGINA *magnis edita Regibus,*
Ipsa erudita ô Theſpiadum manu,
O gratijs ſecunda nulli:
Si quid ab imperij ordinandis
Vacare rebus te juvat, ad mea
Demitte vultus carmina, & aurei
Flexus ocelli, Regioq;
Cuncta ſupercilio moventiũ.
Nec docta, nec te digna, vel auribus
Iſtis politis quæ damus: (hoc enim
Quis poßit ?) at teſtantia in te
Omne animi ſtudium, fidemq;.
Optare quid plus à ſibi ſubdito

Rex ausit? ô non digna tuæ modò
Britanniæ imperare, toti
Verùm etiam dare jura Mundo.
Mox fortiori te litui sono,
Ventura nec quem secla redarguant,
Canemus: ô iuventa nostris
Materies satis una Musis



IN

S. REGIAE MAIESTATIS NATALEM.

ODA II.

ANNVA *en festas properans ad Aras*
Lux redit, nostris memoranda Fastis
Quâ novas cæli Genitalis auras
Hausit Elisa.
Cuncta sint lætis operata Sacris:
Oscine albo *omnis strepat Æthra*: Magna
Huc ades Juno, *comitata centum*
Diva *ministris.*
Vos quoq; immensum perinane, vos quæ
Luditis Nymphæ, *mora quæ retardat*
Musicis lustrare choris Dionæi-
Ætheris orbem?

Mascula

Mascula huc sanctos, Puer, inde in ignes
Thura, nidores paritura opimos:
Huc Dapem *mensæ decus, & crepanti*
Farra salino.

Huc struem *ferto simul atq;* fertum:
Hucce verbenas, quibus ara castè
Vincta non extis petat aut juvencæ
Sanguine tingi:

Cæde placari DEA *mitis odit,*
Cuncta quæ sub cœlo animans sub auras
Prolicit. Cultri hinc procul & Poparum
Sordida turba.

Sat favus, congestaq; apum labore
Mella, sat flores: satis, incruentos
Si focos nexæ decorent coronæ
Et nova serta.

Sparge non unos violæ colores:
Innubâ postes operire lauro
Providus, fronde ut vireatq; festâ
Omne lacunar.

Baccar & cultos hilaret Penates,
Quô procul noxæ genus omne cedat,
Si quid & Regno *huic sociive sævum*
Fata minantur.

Adde defusum pateris Lyæum,
Adde suffimenta, Arabosq; odores,

Atq; onyx nares crocino liquenti
Murrheus ungat.

Fac vomant pinguem nebulam lucernæ,
Ostij hinc quarum foris, hinc fenestra
Vncta nidorem bibat, & beatos
Præferat ignes,

Liba neu desint, Genitale *tempus*
Quæ notent; queis & satura ipsa Juno
Saltet, *ornatos beneolente amomo*
Fusa capillos.

Adsit in partem Veneris *sodalis*
Atq; Junonis Genius, Deum *quem*
Ritè naturæ *sapiens vetustas*
Indigitavit.

Et satur libo, madidusq; Iaccho
Cum DEA *optatas renovet choreas*
Serta cùi sanctos decorare pergant
Florea crines.

Nec mihi hîc det quis vitio, praeesse
Quod virum Natalitijs *suetum*
Ad puellares vocitare cunas
Principis *ausus.*

Regibus *nam, quæ soboles* Deorum *est,*
Non idem ac nobis uti semen & vis
Ingeni, sic longè alia hos habere
Numina certum est.

Proindè

Proinde quid mirum, aut grave, si DEA, *aut par*
Nympha DIs, *præter muliebre Numen,*
Luce Natali, Genio *putetur*
Vsa virili?

Quando non solum DEVS *hic, sed omnes*
Cœlites, quantumq; Deum aut Dearum est,
Ipsius (plaudente Polo) auspicatos
Viserit ortus:

Quiq; certatim sua conferentes
Dona, opes Plutus, Cytherea *formam,*
At mares Pallas *animos, suamq;*
Suada medullam.

Suada, quæ mentes hominum revincit:
Spiritum Grata Latiæq; Musæ
Cynthius: *mores* Charis; Horæ *amœnæ*
Frontis honores.

Transeat lux hac sine nube quanta est.
Conspi: er nullos hodie dolentes.
Nil mali cernam, querulum audiam nil
Luce sequenti.

Præfica *in vicis mihi nulla, nemo*
Ordinis pullati humeros phieretro
Pressus occurrat: procul esto nostro
Lessus ab orbe.

Culta sed Sponso placitura virgo,
Sed suo Cajo *satagens placere,*
Obviam occedat operata iustis
Fœmina Divis.

Gaudeat

Gaudeat Plebes operum soluta,
Resq́ prolatas bove feriante
Pagi ament: Halcedonia *arva circum*
Et fora sunto.

Litibus cassum Puteal Libonis
Musset, ac centum Hasta *gravis* virorum.
Ite Frontones. Masuri rubricam
Nemo moretur.

Stet vacans ventis mare, molliterq́
Tethys *in sicco tua ponat iras.*
Nec malam *hac* scævam *mihi Luce quisquam ob-*
jectet oberus.

Luce, *quæ nobis patriæq́ longum*
Eximat curas, minuatq́ luctum.
Luce, *quæ si non face sospitali ex-*
orta fuisset.

Vnde, vel quænam super hei misellis
Spes foret, præter probra inusta Flandro.
Nomini æternum, Spanicosq; *fastus*
Et juga Parmæ!

Heu nihil porro reliquum occupato
Schalde *facturi, nisi flere victis:*
Adde tormenti genus omne soli
Cogniti ibero;

Vngulas, lamnas, novè adhæc repertas
Mille pœnarum species; pati & quod

sumq; victoris tragici *juberet*
Dira libido.

Hæc & his pejora etiam minati
Quæ Dei avertant Patriæ, ac DEIS *par*
Ipsa, tutelare *futura* belgis
numen Elisa.

Alme sol, vitæ dator utq; lucis
Aureæ, ô mundi *radians ocelle*:
Principe *hac possis nihil orbe toto*
Visere majus.

Illi Erythræas ericina *conchas,*
Lybs *ebur, dives* nabathæus *aurum:*
Illi odoratas Araba *arva certent*
Mittere messes.

Phryx *acu pictas tunicas ministret,*
Purpuram Sidon, Babylon *tapetas;*
Stragula Ægyptus, *tenuisq; fili*
Vellera Seres.

Illa terrarum pelagiq; cuncta
Temperet justis moderans habenis:
Digna, cui fulmen capitolijq; immobile saxum
Iupiter, septem geminosque colles
Ipsa submittat domito gradivo
Cypris, *& jugis meritos* triumphi
cedat honores.

O parens

O parens rerum, mihi quando Sol, *ô,*
Ille fulsurus, Duce quum Lecestro
Colla ponentes videam in Batavo
Pulvere Mauros?

Quando restrictis, erit, ut lacertis
Hannona *abjectâ feritate spectem*
Ante Regales spolijs *onustas*
Ire quadrigas?

Inde submissis genubus venire
Perfugas pro se veniam petitum:
Supplici hinc velatum oleâ atq; vittis
Agmen Iberum?





AD ILLUSTRISSIMUM AC HONORATISS. DYNASTAM Dn. GULIELMUM CÆCILIUM, Burglæi Regulum, Nobilissimi Ordinis Britannici Equitem splendidissimum, magnum Angliæ thesaurarium, Curiæ pupillorum Præfectum, Regij senatus Principem, Patrem patriæ.

ODA III.

CÆCILI, *ô magni columen* SENATUS,
Dîs *sacer nostris, Themidiq́; corde*
Qui cato, qui consiliis Trisæclum
Nestora *adæquas.*

Quem suis promum esse, itidemq́ condum
Diva Thesauris *voluit, labanti*
Qua nihil majus, meliusve mundo *huic*
Fata dederunt.

Ordinis Garteri Eques, *unde lævo*
Crure, Virtutis *documen probatæ,*
Baltheus, *quem auro, rutilansq́ gemmis*
Fibula nectit;

Cærulo velante humeros amictu.
Grande certamen, tibi-ne Ordine *ex hoc*
Majus accedat decus, atq́ splendor;
Ordini *an ex te?*

Fors roges, quid tàm procùl urbe Rheni,
Tam procul nostro positus Lyceo,
Lipsiiq; *expers, quid agam* Albionis
Hospes ad urbem?
Parne utrum desiderio ferundo
Patriæ, ac Cœli patiens Britanni?
An moram hanc osus, meamet subinde
Vota retractem.
Transmarinæ auræ satur? Ipse verò
Hic lubens; ut nec domi, & ante privos
Esse mi possit meliùs Penates
Rure paterno.
Quid novum? auctos nos ubi tanto honore
Regia *& fartos dape,* Pompa *honestat*
Publica, *ac rerum tot ubi optimarum*
Copia prӕstò est?
Summus Aulai *favor, omniumq;*
Ordinum *assensus: ubi nulla* mordax
Janua *intrantes abigit, sed ad sese-*
Inlicit ultrò:
Stratus hinc ostro sonipes, tolutarem
In modum gressus glomerans superbos,
Hinc jugis vectant camerata pictis
Esseda ad Aulam.
Hic ubi cœlum, superumq; mille
Regia Augustæ *species* Elisæ
Mi refert formas, neq; Solis almo
Cedit honori.

O Polo

O Polo dignum Iubar, & Poli astris
Inseri, ô puri radios ocelli,
Splendidum mundi *decus, ac tua vi*
Cuncta serenans.

Sera sed cœlum irradies, & inter-
sis tuis longum populis, Tonante
Au spice, Aurancl *patiens vocari*
Principis ultrix.

Auguror: *nec nos tua* sospitalis
Dextra vicinos Thamesi *relinquet:*
Sic erit; Lævo *viden' ut* tonitru
Omina firmet

Jupiter? *Quæ tu* rata *ut esse possint*
Aureo *nutu* Dea *fac secundes*:
O Dea, *ô certe* Dea, *an hic* Deorum
Munia fungens:

Fallor? an verso referens Minervam
Schemate in terris, Genii lepore
Major humano, Superis quoq; ipsis
Indole certas?

Celticam *præter,* Spanicam *aut* Hetruscam,
Docta sermones utriusq; linguæ
Docta res sacras simul, imò Princeps
Ipsa sacrorum.

Arbitra *&* Pacis *simul & duelli*:
Gnara plectrorum modulaminumq;,
Quæ ilices, quæ saxa iterum ac ferarum
Secla sequantur.

Artium nec quis tibi laude se Rex
Comparare ausit, studiis-ve Phœbi.
Nam quid aut cygno anser acredulæ-ve
Certet hirundo?
Cuncta quæ, Burglæe, mihi, meisq;
Esse sat caussæ potuére Musis,
In locis istis merito, ac lubentem
Velle morari.
Nulla sed tanti esse beatitudo
Quit foris, nullæ illecebræ, carere
Patria ut possit, cui Res Fidesque
Publica cordi.
Da precor fasso hanc veniam, revorti
Si domum tangor; reduciq; parce
Vota fortunæ facientem iniquis
Carpere dictis.
Parce, & exemplo moveare Ulyssis,
Quem neq; Atlantis valuit, neq; ipsa
De statu mentis solidæ movere
Filia Solis.
Scilicet tædæ memori jugalis
Visa Dos vilis, Numeris Deorum
Inseri, ac nullis minuenda seclis
Ducere fila.
Ergo Circæis Ithacæ aspra saxa
Prætulit: solum in studio, inq; votis
Hoc habens, tigno salientem avito
Cernere fumum.

Nec tamen tanti mea Nordovicum,
Regna: non conjunx gravida, aut minuta
Liberum absentum mihi turba (quamvis
Hæc quoq; tanti)
Quanta communis *Patriæ relictæ*
Cura nos torquet, cruciatq; pectus
Anxium terror, pede ne superbo
Vastet Iberus
Ab Duce *structam* Aurasio columnam.
Major absentu animum urget angor
Scilicet. fallax utinam ista sensus
Ludat imago.
Sed vides, quantos iterùm tumultus
Concitet Flandræ *vetus hostis ora;*
Nil nisi Furcas *minutans, vel* Arces
Ultima passis.
Illum & Anversæ *spoliis ovantem,*
Aura Fortunæ nimium insolentis
Inflat, & stratas Morinum *per urbes*
Vectat Enyo.
Nil tamen nunc esse pericli ab isto
Arbitror, ne æris tonitru cavati,
Ariete admoto, ruitura rursus
Mœnia pulset.
Oppidis Rheni, aut Isalæ, aut Vahalis
(Deditâ, an captâ nihil urbe victis
Reliquum assuetus facere) hostium impres-
surus aratrum.

Tale nil prudens metuo fuerunt
Hæc prius: nunc hinc veniæ illecebris,
Hinc minis grassans, dolo & arte inescat
Credula corda.
Sic novas sparsim Tabulas videre est,
Simplici quas rerum avidi novarum
Oggerunt turbæ, solitisq́ue cæcum
Vocibus uti.
Dedocent vulgum. nihil hisce pejus,
In sinu qui visceribusq́ue nostris
Per fidem fallunt, specieq́ue Pacis
Omnia miscent.
Et mage hæc pestis metuenda, diræ
Quàm Tagi Harpyiæ, scopuli ut latentes
Damna dant nautis graviora, quam qui
Altius extant.
Hoc genus me sollicitat, quod ex his
Nosse non paucos videor, Pelasgo
More, vulpinos animos ovillâ
Pelle tegentes.
Ipse personarum quibus hinc, cutem inde
Deripi præsens cupiam, efficiq́ue
Marsyas, qui nunc nitido per ora
Tegmine cedunt.
Prora mi hæc, Puppisq́ue meos Penates
Quod regustandi studio, impotenter
Arva suspirem patria, additurus
Plura relictis,

Vota

Vota ni nostra impediat vel hostis
Hybrida, *aut certè hoc genus* Hybrida *hoste*
Tetriùs multò, Patriæ ac sibi-met
Exitiosum.

Verùm hic ab Dousa *procul &* Batavis
Sit timor, conferre manum, ac paratis
Rem popli, Jus, vindiciasq; avitas
Marte tueri.

Perq; virtutem potius perire
Millies, quam ludibrio, atq; prædæ
Esse victori, sua cui lubido
Pro ratione *est.*


At tuo Heræ, Nymphæq; Britanniarum,
Velle pacatam reverenter aurem,
Curam uti nostræ rei habere cœlo
Vindice pergat.

Sat benè hoc, si sat citò : *de* Stratego
Dico quem magni (mihi crede) refert,
Hinc Brilam *primo quoq; & in* Valacros
Tempore mitti.

Ipse quid præsens status, & quid æquum,
Publicæ *quid jura necessitatis*
Postulent, quæ mens Dominæ, *omnia unus*
Ordine calles.

Ergo da hanc nobis operam, meosq;
Hoc idem cense Comites *rogare,*
Imò quantum usquam est hominum in Batavis,
Mattiacisq;.

Sic & in commune Rei *cavebis*
Publicæ: *privatim ita commodabis*
Busio *ac* Dôusæ, *tuo in ære porrò*
usque *futurus*,
Dumquidem Hispanis *mala nostra* Belgæ,
Cuncta dum vobis bona debituri.
Pro quibus (*nil quando aliud referre*
Possumus ipsi)
Sume ab audaci nimium Camœnâ
Verba Lesboo *modulata plectro*:
Nil tuas asperis veritâ enecare
Cantibus aures.
Sic tamen, sic ut mali id omne quantum est
Imputes ipsus tibi: quippe nostros
Ausus in cœtu Procerum *frequenti*
Poscere lusus.
Nec sat. & vatis titulo, *imò* vatum
Principis *mactum celebrare* DOUSAM,
Ac tuis nixo Elogiis, *pigranti*
Subdere calcar.



NOBILIS-



NOBILISSIMO DOMINO THOMÆ HENNEAGIO EQVEstris dignitatis Viro, Aulæ Regiæ Quæstori honoratisſimo.

ODA IV.

REgii Ærari *generoſe* Quæſtor
Quem ſuis rebus, Rationibusq;
Eſſe Præfectum voluit potentis
Numen Eliſæ:

Fòrs rogas, unde ad tua templa; quò tres,
Quò novem Divæ *penetrant frequentes;*
Diſpari Sappho pede & imbecillo
Poplite tendat?

urbe Londino, Thameſis *tabernâ,*
Nomen Auctoris, *patriamq; quæris?*
DÔUSA NORTVICO *genitus vocatur:*
Quem tibi notum

Vt negare auſis, tamen ipſe nunquam
Te ſibi ignotum poteris negare:
Hoſpiti, ut civi cupiens; neq; arcens
Trans mare natos.

Quo nihil nobis melius magisve
Obijci fauſtum potuiſſe, certum eſt,
Anglica ut primum tenuere noſtræ
Littora puppes.

Amnium hic Rex *& Grevesenda testis,*
Hic ubi Dousæ *comitatuiq;*
Dousico, ventum benè, *gratulantes*
Voce disertà.
Nec sat; & jussu Dominæ, Viali
Publicæ *acceptos* Epulo *beasti,*
Inde Londinum, Thamesi *secundo,*
Te duce ituros.
Ivimus pictis, Duce te, Phaselis:
Supparo Regali agilesq; remis
Ivimus, donec Trenobantiæ *urbis*
Legimus oram.
Hic Davidsono *præeunte*, Pompæ
Publicæ *in morem, Populi faventis*
Plausibus mactos, Salio *apparatu*
Mensa recepit.
Sed parum hæc, præ quos memini mihi te
Publicè, privos habuisse honores:
Dousa *quum dignus tibi visus, ad quem,*
Non sine Svada
(In tuis quæ pridem habitare labris
Sueta) sermonem sereres Latinum.
O Lepôrem, ô mellifluentis oris
Aurea dicta!
Tu tamen salsus nimis; ause te mî
Ire purgatum; quasi solum in Aula
Patriæ assuetus, Latiæ careres
Munere linguæ.

Tunc

Tune ad hanc nostram rudis atq; fandi
Insolens? quósnam ergo locis in istis
Esse consendum, quibus omnis acta
In studio ætas?
Ah, super quæso his sedeas cavillis:
Aure nec tàm nos Batava arbitrere,
Esse clam Dôusam *tuæ ut ista poßit*
Copia linguæ,
Quàm mihi, quam nunc quoq; ruminari
Gaudio & melli est, licet orbe pleno hæc
Quarta jam Phœbe coit. ó stupenda
Eloquij vis!
Interim bis nos properata in unum
Hora conjunxit, meliore fato,
Cum tui præsens mihi colloquendi
Facta potestas.
Inter agrestes Dryadum choræas
Scilicet Dudleiæ *operà* Dianæ,
Hic ubi sacras Nemorum Deæ* Heros
*Poßidet** arces.
Ille, venatu satiata longo,
Corpora optatis epulis refecit:
Melle tu verborum animum levasti
Alloquijsq;
Dulcibus. nunc quorum etiam lepórem
Mens recognoscit, magici ut susurri
Tacta concentu, memorij; murmur
Tinnit in aure:

* Illustriss. Leicestriæ Comes.
* VVandstadium.

Rure

Rure natum, & per nemorosa Tempe
Primitùs; Londini *iterùm, prope ipsum*
Flumen, ejusdem * *Domini quod* Urbanam
Alluit ædem.

Illustrissimi Leicestriæ Comitis.

Hic enim affatu nemini cupito
Gaudia inter nos iterata: Dudlei
Unus, excepto, quod abesset * Hæres
Cætera lætus.

D. Philippus Sidnaeius.

Cujus aspectu, volupe est, ocellos
Pascere; hinc ludum dare vitæ inerti
Sæpè; nunc æquo pede non iniquas
Ire per undas.

Quo meum læto videam, audiamq;
Ore Sidneium, reduciq; *solvens*
Vota Fortunæ, *mihi restitutum*
Grater amicum.

Proinde quo me pacto habeam, rogare
Abstine; forti patriam solum omne
Esse persuasus, Batavis *ut* Anglum
Piscibus æquor.

Patria, Hennæghi, *est, ubicunq; suavè*
Vivitur, turbâ procul à clientum
Et foro: *nec mane ubi* Litigator
Ostia pulsat.

Nullam ubi Muscam *videas* togatam
Quæ cluat; nec Volturium; *reiq;*
Quod caput) pingues ubi nulla somnos
Classica turbant.

Classica.

Claßica, heu, ſat jam nimium ſuperq́;
Sueta longùm aures Batavas ferire,
Dum Popli jus vindiciasq́; *avitas*
Marte tuemur.

Mi vel ætatem foret in Britannis
Suave vobiſcum jugulare curas;
Suave ceſſatum ad Thameſis fluenta
Ducere Muſas:

Et quod huic vitæ eſt reliquum, ejerato
Marte, mox totum placidè quieti
Tradere, & libris animum atq́; doctis
Paſcere dictis:

Patriæ ſi non amor, & periclum
Et ruinarum fragor imminentum
Nos domum retrò dare vela, Speſq́;
Reſpicere ægras

Cogeret. de Re *benè dum mereri*
Publica *votis cupimus faventes;*
Patriæ *quando bona prima nobis*
Eſſe putandum eſt.

Ipſe, queis ventiſq́; vides, & æſtu
Noſtra jactetur peritura in alto
Cimba, ni ſpes auxilij gubernat
Tranſtraq́; firmet:

Naufragi ſecura, quoniq́; Belgis
Haud mari Eoo, ſed ab hoc Britanno
Phoſphori *ſurget rota,* Regiiq́;
Nominis Aſtrum.

Et tamen

Et tamen quantas miseris procellas
Concitat Flandræ *vetus hostis oræ?*
Paussa nec diræ datur ulla cladi
Suppliciisque.
Quis modus? vel jus rigido quousque
Ense dicundum? cui puniendi
Cantabrum *partes, domitrice dextra*
Fata reservant?
Regis HENRICI *soboles,* Britanni
Imperl Princeps, *tibi cura nostræ*
Belgicæ *Fatis data; te* triumphus
Hic manet unam.
Digna, quæ supra Garamanta *&* Indum
Des laboranti nova Iura Mundo;
Trans Magellani freta, *trans supremæ*
Littora Thules.
Cujus ad limen Diadema *supplex*
Ponat Europes Asiæque terror:
Cui Mare, & Tellus, & utrumque sidus
Serviat uni.



DOUSIANI



DOUSIANI VOTI SOLUTIO
AD ILLUSTREM VIRUM
Dn. PHILIPPUM SIDNEIUM
HENRICI Pro-Regis Hiberniæ F.
Quum eidem Petronium
Arbitrum muneri mitteret.

ODA V.

ARbitrum *en tandem tibi. Nam quis iste*
Arbiter? *dices. Tuus, ô* Philippe:
Quippe desertor domini prioris
Perfugium ad te
Certus ex voto *facere; herclè verò*
Seriò, at serò. fateor: neq; ire
Quippiam hinc possum inficias, prehensus
Crimine in ipso.
Caussa sed cujus tamen haud videtur
Aspra defensu: quia nec tui unquam
Immemor, pactæ aut fidei, meáve
Parcus opellâ:
Sed quòd exemplorum *ope destitutus*
Illa ab extremi petere usq; Rheni
Faucibus; cognati, habui necesse,
Trans vada ponti.
Cuî malo accessit remeligo & illa
Insuper, quod vento operam negante,
Littore à nostro dare vela nantes
Aura vetavit.

Proinde

Proinde (quod felix *tibi, miq; & ipsi*
Arbitro) acceptum face redditumq;
Quicquid id voti *est* : *neq;* Dousianos
Despice lusus.

Hoc sat : Auctorem *nec enim indigere*
Voce præconis reor ; haud magis, quàm
Cæcubum *appensis hederis, quod annus*
Coxit Opimi.

Iamq; quid restat, nisi ut arbitri *ipse*
1. Inspector antiquè. Arbiter *fias ? neq; me* Editorem
Dedecet munus, *neq; te instituti ab*
Consule ludi.



CELEBRATIO NATALIS REGII.

Ad virum verè nobilem ALEXANDRUM NEVYLUM Anglum, amicum non è multis.

ODA VI.

O Diis *nostris*, Genioq; Tulli
Care Alexander, *Thalamis* Lacænæ
Dignior quàm Phryx *vetus ille* Atridæ *invisus adulter.*

Clare per ceras, titulosq; Avorum,
Nec minùs privâ memorande Lauru :
Floridam exorsus operæ perennis
Texere telam :

Dum

Dum per Annales, *memoresq;* Fastos
Romulo *audacem juvat ire* curru:
Et novam circùm historiæ Britannæ
Fundere lucem.

Tmesis pro circumfundere.

Alba *cur nostris humeris lacerna*
Pendeat: quidnam sibi carbo vivo in
Cespite exposcat; nova cui Deorum *hæc*
Pompa paretur:
Cur Sacris Cortina remugit antris;
Delphicæ *cuinam penetrale rupis*
Panditur, Responsum uti si datura
Pythia *vates:*
Mitte scitari. Quid enim? redire
Mense Septembri stata num quotannis
Tempora oblitus, quibus aqua noctis
Hora diei est?
Orbe Lucinæ *novies renato*
Septimæ quum jam properantur Idus
Feriis, ludoq;, Repotiisq;
Ritè dicatæ?
Aspicis, sollenne *ut* Apollo carmen,
Ut novas Sappho *praeat choreas*
Dousica, *& vinctæ meliore* Lauro
Tempora Musæ.
Tu tamen tanquam volucris diei
Stet rota, & cursum remorentur horæ
Annuam felici operam Levanæ
Solvere cessas?

Quin age, ãc restim choreæ trahendo
Lesbios *nobis moderare cantus.*
Nam potes: nec te genitum alma frustrà
Vidit amico
Lumine Euterpe *gremioq; fotum*
Sustulit Pallas: *neq; frustra adulto*
Delius *Graij dedit, & Latini*
Pectinis usum.
Cinge flaventes apio capillos:
Haud faba, Cresæ-ve notæ lapillis,
Sed rubri concha maris, atq; baccis
Tempora signans.
Tuq; vix tandem mihi Patriæq;
Redditus, post tot maris & viarum,
Exili post tot mala, carcerisq;
Tædia mille,
Huc ades, grati socius laboris;
Huc ades, rerum ô columen mearum:
Et tua, Rogers, *prece nostra fac nunc*
Vota secundes.
Dic adhæc Fratri, *veniat* favente
Voce Dousæas *animare chordas,*
Cui coronatos hedera capillos
Nectar inundet.
Cuî bono? *dices.* Nimio *hercule: ut qui*
Cive servato *hanc meritus* coronam
Non semel tecum; quoties in oras
Publicè *uterq;*

Exteras missus, placitusq; jussu
Regio Orator, *operam probare*
**It suam: constans, vigil, acer, aptus* It præterit. temporis pro lit.
Rebus agundis.

Adsit & diæ Uraniæ *Sacerdos,*
Quem penes primæ regimen cathedræ est,
Templi ubi Paulini operosa moles
Æthera pulsat:

Haud quidem ut censuram *agitet severus*
Agminis dux Linigeri Nœllus:
Sed modos dictet, præeatq; plausus,
Et bona verba.

Huc quoq; accersi cupiam Hartuellum,
Quem mihi, Magni Dapibus referto
Præsulis, *par mens studiumq; docto*
Vinxit amore.

Sed neq; hinc, Sacris comitata Musis,
Exulet, par est, Meluina Pallas,
Serium præsens simul, & jocosum
Psallere carmen.

Nunc ubi Discon *meus? aut ubi esse*
Scipium *dicam? quibus è latebris*
Elici Mulcasterii *arbitremur*
Posse Lepores?

Quos mihi si qui Ortelias *ad ædes*
Sistat, haud nobis abiturus expers
Elogi. gratuito age quis recuset
Carmine dici?

O Dii, *quando dabitur* Baronem,
Quando Wertloum *reducem videre? En*
Vnquam erit, nobis uti Wittakeri
Copia fiat?

Quando narrantis decora alta Patrum,
Saxonum *quando monimenta, ab ore*
Pendulum Cambdeni, *avidâ licebit*
Aure notare?

Vos, ei qui ædes colitis propinquas,
Infrequentem huc ad sua signa rursus
Sistite Albatum: *haud Scholicâ ut Poëtas*
Nos dape pascat,

Vincta sed flavente gerens olivâ
Tempora, & sertum geniale versans
Dexterâ, pergat meritis beare al-
taria flammis.

Neu quis hunc se extra numerum fuisse
Post queri possit; iam adeò universis
Antè prædico, sua quisq; secum
Symbola *portet.*


Et comas vincti platano, mariúq;
Rore, nobiscum sua vota jungant:
Rite præsentis Genium *diei*
Dum veneramur.

Sanctus hic verè mihi carioŕq;
(Iure) Natali *proprio, quod ex hoc*
Luminis dias data primum in auras
Elisabetha.

Par tua

c

Par cui nostro meliusve Mundo
Fata nil largita boniq; Divi;
Nec dabunt, quamvis chalybæa in aurum
Sæcula mutent.



AD CLARISSIMOS AMplissimosq; VV.

D. JUSTUM MENENIUM, JC.
D. JOHAN. BARNEVELDIUM, JC.
D. DOCT. FRAN. MELSONIUM:
OPPIDORUM,
DORDRACI,
ROTERODAMI,
ENCHUSÆ,
Syndicos & Consiliarios dignissimos in legatione Collegas.

ODA VII.

DIgne *Romanæ* Themidis *Sacerdos,*
Nec minùs nostris operate Sacris
Iure cui JUSTI *merito* MENENI
Nomen adhæret.
Vosq;, junctè ô participes laboris,
Jurium *ac fandi cate* BARNEVELDI,
Atq; MÆSONI, *cui vim medendi in-*
dulsit Hygeia:
Haud modò ægris corporibus salutem
Quæ parit, sed Rem Patriam *juvare*
Prompta, noxarum genus omne nostris
Finibus arcet.

 Alter

Alter hic mensis, simul ac relictis
Faucibus Mosæ, *è* Batavis *profecti*
Venimus toto penitùs diremptos
Orbe Britannos.
Interim quantis opibus, quot aucti
Commodis Belgiæ, *bona quot* salutis
Signa ab occasu micuêre, & almæ
Virginis astro!
O novum mundo *jubar, ô diem illum*
Aureum & dignum meliore Rubri
Littoris conchâ, ô niveis notandum
Tempus elenchis,
Aura quo primum Zephyri *faventis*
Flavit afflictæ propè jam carinæ:
Nec DEUS *pessum* occiduo *ire passus*
Gurgite Belgas.
Gratia, ô Princeps, *tibi, nos sub ipsâ*
Fauce quæ leti positos, profundo
Iamq́ mergendos ope sospitali
Ausa beare.
Vince sed Terrâ, en Mare *sternit ultrò*
Se tibi, ut cui non Batavi *&* Zelandi
Nos modò, aut Angli, *sed & universus*
Militat Æther.
Auguror, vinces : *neq; abesse opinor*
Longius, quum sub tua jura Delum,
Quum Riam *cernam fluere, ac solutum*
Compede Scaldim.

Hæc brevi; ac spe fors citius, nova inter
Gaudia Augusti *quota pars* triumphi,
Regios *axes meritâ decori*
Fronde sequemur.

Sic erit. nec nos alium agnituri
Vindicem, quàm Leucotheen Britannam,
Tuta quæ prensis pelago una velis
Littora præstet.

Hæc, & his porrò paria auspicatò
Quæ sibi ac nobis bona contigêre,
Vestrûm erit, Belgi ordinibus *referre*
Voce disertâ.

Me juvet grato benefacta tantæ
Principis *vatem celebrare cantu.*
Quid vetat circùm caput hoc Britannas
Serpere laurus?



Ad Prudentissimos juxta ac Honoratissimos Collegas,

Dn. JACOBUM VALKIUM, & HESSELIUM AYSMA: alterum, ZELANDIÆ ORDINUM ac FOEDERATARUM IN BELGIO PROVINCIARUM CONSILIARIUM: alterum verò supremi Consilij ad Frisios Occidentales PRAESIDEM ex hac BRITANNICA LEGATIONE in patriam domuitionem parantes.

ODE VIII.

Προπεμπτικὴ.

FAlco, Zelandi *bona pars* Senatus,
Ordinum Falco *decus*; Hesseliq;
Digne Jus Præses Frisiæ, *tuiq;*
Dicere Cauchis:
Ambo Legati, Patriæ bono *ambo*
Missi in hæc mecum loca: tot secundo
Amne nobiscum, tot equo per Anglos
Millia vecti:
Ecqua vos quæso subitura nostri
Cura, quâ desiderium sodalis
Mente laturi, simul ac domum vos
Carbasa sistent?
Ipse nil vestri Genij Lepori
Comparo: ac vobis reliquum quod ævi est
(Si tamen si quid reliquum est) lubenter
Omne dicarim,
Si mei, aut privi hæc semel arbitratus
Res foret; nec nos Patriæ *vetaret*
Causa *vobiscum religare ab* Anglo
Littore funem.
Ecce jam quinos mihi vita menses
Acta vobiscum, Trenobantum *in urbe;*
Lipsij, *excepto, fuerim quòd expers,*
Cætera læto.
Seu frequens comi dare tempus Aulæ:
Seu mage ad ripas, Thamesis, *sub umbris*
Arborum, gavisi operum solutos
Condere soles.

Pro cibo

Pro cibo hic nobis quoties fuêre
Sparsa nativo sale, cassa felle
Dicta; libertasq́ʒ timenda nulli
Manè sequenti:

Sive rumores celebrare, seu nos
Iuvit arguto variare lusu
Seria ac distentum animum jocoso
Solvere ludo.

Sæpè Musæo *modulamine aures,*
Sæpè spectaclis recreare visi
Lumina, & cessatum ad amica plectra
Ducere curas:

Nunc metu, nunc spe cruciare nobis
Pectora adsuetas, Patriæ *periclo*
Anxiis; dum nos Socii, *invidusq́ʒ*
Tardat Japyx.

Hinc per Annales quoties vagati
Fecimus caris pretium libellis?
Ut breves sæpè in mediam usq́ʒ noctem
Traximus horas?

Regias *inter patinas* Scyphosq́ʒ
Sobrij semper: nec Amystide *udi*
Pantices unquam, nimiave forti
Mole saginam.

O Dapes *optatæ, ubi nulla* Bacchi
Regna, *nec magnos metuas culullos:*
Nulla ubi fauces muria, ebriámve
Torquet orexim.

Gaerons. Douſico

Dousico ab dulces Genio paratus;
Quisq; ubi privo arbitrio gerens rem
Impares siccat calices, solutus
Lege Magistra.
Quos domum ritus utinam, hincq; nostra
In loca inductos videam; ac bibendi
Barbarum morem Patrio à Britannis
Orbe fugatum.
Quam mihi ac vobis etiam esse curæ
Rem velim, accinctis iter ad Zelandum,
Cumq; Sidnæio *dare ad* Arnemudos
Lintea portus.
Ergo cœli haustum genitalis auras
Ibitis, Dousa *sine* Busioque?
Vosq; fortunæ reduci *juvabit*
Solvere vota.
Ibitis (*quidni?*) Leovardiam Aysma,
Valchriam Falko, *incolumes utriq;*, (*ut*
Spero & excepto) Patriæ *daturi*
Oscula terræ.
Tum mihi effusè videor ruentis
Per viam occursus populi; *inde* Matrum
Et Patrum *amplexus; Pelagi hinc* ovantis
Cernere plausus.
Ecce ut ad portus *properent frequentes*
Tot sibi ac vobis bona gratulatum;
Gaudio, ut manet lachryma clientum
Læta per ora.

Omnis

Omnis ut linguis faveatque votis
Ordo, Sidnæio *veniente, qui Dux,*
Qui Parens *vobis sociisq; tanta*
Commoda portat.

Ille Ulyssææ regimen *det* Urbi; Rammekens.
Ille jus arci (*sinite*) Arietinæ;
Consili prudens simul, & ferocem
Acer in hostem.

Vos sed ob res ad Thamesim; arbitratu
Publico, *at nostro studio patratas*
Plaudite, *ac* magno meritas tonanti
Reddite grates.

Et benè *hinc* Anglis. benè Principi Anglæ,
Et tibi ô Dudleî, *Benè tot* Strategis,
Patrium in morem *sua quisq; dare ad*
Pocula dicat.

Iamq; (sic vestros juvet aura cursus)
Dulce par nobis Comitum valete.
Quippe par (nec fari iterum pigebit)
Dulce fuistis:

Sive Priscorum monimenta Regum,
Seu recens auro laqueata tecta
Cura mirari fuit, ac beatæ
Commoda terræ.

Seu magis cultus, studia, atq; mores
Dissonos nostris, animosq; gentis,
Visum odii, operæpretium, aure, fida &
Mente notare.

Ite, quò Doris *rapit, ac faventis*
Aura Neptuni: *parili ipse cursu*
Mox ſequar, Magni auſpiciis Leceſtri
Vela daturus.

Nec *querar, quamvis* Decumos Palæmon
Moverit fluctus, mihi dum diſerti
Buſii *aſpiret* Lepor, *ac marinos*
Mulceat æſtus.

Quo duce, Hibernas ego nec procellas,
de Vlaemſche Bancken. *Vim neq;* Arcturi *metuam; absq; cura*
Flandra *pervadens* Brevia, Hoſticiq;
Littoris oram.


Cauſiam, Ampullam, Gladium, *& ſalo udam*
Veſtem *ad optatas poſiturus* Aras
Herculis, *cui* Mattiaco *vetuſtas*
Nomine fecit.

Metelloburgum. *Illa vos mecum regio, &* Metelli
Poſtulant Arces: *ibi nos* Nova *inter*
Vina ſemeſtri exilio *juvabit*
Ponere finem.



JANI

IANI DOUSÆ NORDOVICIS ODÆ LUGDUNENSES.



AD
Janum Dousam
V. N.

SI quum Phœbæos Daphne vitaret amores,
Audisset cantûs, maxime DUSA, *tuos;*
Pro Lauró Daphne tua plectra sequuta fuisset,
Nunc tibi pro Daphne est Laurus, Apollo caret.
Et melius: siquidem tua Virtus notior exit,
Hanc trahis, illa artem sponte sequuta foret.

Georgius Benedictus
Harlemensis.



ODA



ODA I.

QVAE ET TRIUMPHALIS INSCRIBITUR.

Soluta secunda Lugduni in Batavis obsidione, cæso ac profligato hoste publico: civibusq; ope DEI Opt. Max. servatis, liberatisq;.

DIgnus levati jam obsidio Ducis,
Dignus Poëtæ sit venia labor,
Si liberatori, hospitiq;
Hospes agit, socioq; grates
Vetus sodalis, quo pote carmine:
Tollitq;, quando non aliud potest,
In astra victorem, & salutem
Ipse suam sibi gratulatur:
Obsessionis Hesperiæ memor,
Memorq; longæ, quam tulerit, famis,
Sperare non ullam salutem,
Quando salus fuit una victis.
Nam vera si fas dicere, sed puto,
Lugdunum apud te dicere fas mihi,
Dousæ *tuo ah modò angor, & crux,*
Curaq;: nunc decus, & voluptas:

Quàm

Quàm pænè longis obsidij malis,
Fameq; tu & Dux ego in ultimum
Discrimen usq; adducti Iberis
Addidimus cumulum triumphis?
Districtus eheu, jam jugalis super
Pendebat ensis. ut taceam faces
Lamnasq; & uncos, atq; jactus
De lapide horribiles deorsum.
Iam decolores sanguine civico
Videbar auctas cernere Rheni aquas
Undare, & horrendam cruoris
Diluviem patriæ minari:
Stagnantibus prò, quas dare dixerat
Vicinus undis. quippe cadaverum
Facturus immanes acervos
Et lacus, & laqueus parati:
Lacus propinquis fluctibus obrutos
Missurus Harlemum: at laqueus gulas
Fracturus infelice fixis
Arbore furciferoq; trunco
Quid turba vultus æmula ducitis?
An vana vobis hæc videor loqui?
Atqui suam Baldæo, in hanc rem
Carnifices operam locarant
Simul trecenti: quamquam operi huic Iber
Vel ipse solus sufficeret, neq;
Tortore tortor indigeret,
Carnifices ope carnifexve.

Heu quot

Heu quot tuorum & qualia funera
Læda extulisses, sed tumuli procul
Honore, queis Hispanus omnem
Æthera pro tumulo dedisset?
Heu quot gementes ense sub impio
Senes videres, & mulierculas
Anus, quot infantes parentum
Uberibus madidis revulsos,
Pilisq; & hastis ludibrium obijci:
Artus breves his comminui: hos solo,
Aut parieti illidi: inde Nymphas
Hostis ad arbitrium pudenda
Pati: exoletas contrà acie, aut aquis
Perire: venum parte alia dari,
Ceu voce præconis sub hasta,
Virginei exuvias pudoris.
Hæc, & modi hujus plura tibi, ac tuis
Scibas parari: non ideò tamen
A calle deflexisse honesti
Visa semel: sed eo magis usq;
Magisq; Iberos spernere nuncios,
Qui gratiæ spe, qui exitij metu
Melle illitis minis studebant
Pertrahere in sua vota cives.
Memor sacramenti, & fidei tuo
Pactæ Aurasino: nec dum etiam puto
Oblita moris hostici, cui
Pœna fides vetus est in armis

Egena quamvis præsidij, & peni,
Et commeatus obsidio novo
Existimata impar: at ipsa
Pauper eras eademq; fortis.
Quamvis tua extra mœnia nil nisi
Hostile, quoquò lumina verteres,
Valla, atq; fossas, aggeresq;
Aspiceres, & Ibera castra:
Nec Galla abessent auxilia his, neq;
Germana, Baldæi imperij alite,
Et militum, & munitionum
Vi valida, numeroq; fretus:
Glippers. Et perfugarum vocibus improba
Victoriæ spe magna sonantium:
Pardoen-gheuers. Datoribusq; impunitatis
Hutherio Mathenesioq;.
Quæ cuncta, cuncti qui pariter simul
Iuvante Lanôô in patriæ suæ
Iurasse, conspirasse visi
Perniciem, populariumq;:
Quas non dederunt insidias tibi
Mistasq; dictis terrificis preces?
Muros minati sæpè raptim
Ignibus, atq; globis rotatis
Se diruturos fulminis in modum,
Et perdituros omnia: sed sua in
Contrarium spes vertit ipsis:
Vota DEO rata non habente hæc.

Pruden-

Prudentiam qui, cordaq́ masculam,
Qui consilî vim nunquam alias dari
Suo Imperatori Aurasino
Contulit, & Patribus Batavis?
Auctorq́ nostris ordinibus fuit,
Non usitatì tramitis orbitam
Tentare, quidvis experiri
Deniq́ quo tibi provideri
De commeatu posset idoneo
Atq́ obsidentum spes fieri irrita,
At machinis queis istud, & quâ
Confieri ratione posset
Per hostium castra, hoc opus, hic labor;
Iuvante sed nil difficile est DEO,
Septis is, emissariįsq́
Suasit, & obįicibus reclusis
Laxas habenas Oceano dare,
Iussam vetans hunc littoribus fidem
Servare: quæ Lugduno opus nil,
Non mage quam venia Cuningæ.
Verum est marinis auxiliįs opus:
Opus procellis, & pluvio Iove:
Opus Salæ & Mosæ refractis
Molibus, aggeribusq́ ruptis,
Atq́ attrahi vim Tethyos è sinu.
Sententia hac nec ulla prior fuit,
Iucundiorve: quam Senatus,
Omnis item populus sequuti,

 Ordo

Ordoq; Equestris. hinc odij faces
In Busam, & ipsum gliscere Principem,
Sed unde nati? certè ab illis,
Qui vel amicitiæ sub umbra
Reipublicæ intra viscera, & in sinu
Nobiscum habent rem, spargere frigidam
Gens docta, quandocunq; nobis
Exitium struit hostis extra,
Aut his, qui haberi se medios volunt,
Vel Euclionum de genere, & quibus
Magis sua & privata, quàm res
Publica curæ erat, atq; cordi.
Quæ quo minus cara his erat, hoc magis
Referre visum est Principem, & ordines,
Ut tempori Obsessæ levamen
Alluvies properaret urbi,
Curare: avaris nec querimonijs
Agrariorum, nec patriæ affici
Incommodis, periculisq;
Dum socijs ea sint saluti.
Ergo terendis apta ligonibus
Accingit omnis sese operi cohors;
Non gratis, at conducta magno
Pars bona, ne pretio empta dicam.
Fit vasta Mosæq; & maris auctibus
Opposita moles: jam Salicus Salo
Dehiscit agger, publicumq;
Fervet opus novitate facti.

Quid

Quid mirum? ubi in re qui caput est rei,
Præsente Princeps ipse aderat suis,
Fossoribus mentem, atque vires
Sufficiens, stimulosque subdens.
Tum verò in herboso & stabili solo,
Succrescere æquor conspiceres novum,
Cum rursus ac prorsus fluenti
Mobilis alluvionis unda,
Alterni & æstus: & segetem & domos
Raptantis una, non sine fluminum
Fragore vasto proruentum
Agmine per cava perque tractus
Agri Scydami, *lætaque prædia* Schielant.
Gaudana, Delphorum æmula pascuis,
Tunc expetitis mersa primum
Fluctibus, & placita Amphitrite.
Quis credat? & fors inficias sequens
Hoc ibit ætas: jamque per omnia
Discrimine stat pœne nullo
Æqua mari patefacta tellus.
Fœnique metas, & Cereris sata
Suis sub undis Nereides stupent,
Ridente Protheo piscium dum
Dimidia genus hæret ulmo:
Atque ipsa tantum non aviaria
Colit, palumbis & procul alite
Pulsa: sacram quam, propriamque
Esse sibi voluit Dione.

Nec ulla aratro jugera, vindices
Aquæ relinquunt: magnaq; agrestium
Pars mersa: comparentq; paßim
Quid? nisi naufragij tabellæ,
Heu perfidarum fragmina navium,
Truncaq; puppes? quas veluti vada
Formidet ignotasq; cautes,
Alterius monitus periclo,
Labens propinquis vector ab oppidis,
Flectatq; cursus. quæq; equitem modo
Nautis in accessa, & phaselis,
Seu celerem loca passa currum.
Ratem, atq; ventis vela patientia
Perferre discunt, quaq; stetit prius
Felice trunco, nunc eadem
Per spatium genitalis arvi
It versa quercus in facies novas,
Secans citato non ita cognita
Sibi ante cursu uliginosi
Terga soli, patriasq; stirpes.
Naturæ eunt præpostera legibus
Iam cuncta: lucus qui fuerat, lacus
Apparet, in salumq; migrat
Omne solum, superante fluctu.
Nievverkerck. *Novum ecce Fanum: pagus erat modo*
De Landtscheydinghe. *Palus repentè est. quid tamen hæc juvant?*
Num Terminalis quiq; Rheni
Separat à regione Delphos.

Num commeatu nos prohibet minus
Firmatus agger præsidio, & moris
Muniminum Hildami? quis autem
Molis opus superare tantæ,
Quis possit? ô dilecte DEO nimis
Loise vindex. hic opera tua
Est usus hic fratris lacertis
Herculeo paribus labori:
Provinciæ huic te sed patriæ ordines,
Omnisq; cum Læda urbe Batavia
Delegit, ut Præfectus esses
Mattiacæ, Bataveq; classi.
Re non minus quam consilio bonus,
Audaxq; cæcis ferre periculis
Pedem: nec expavere raptim
Tempora per cava transmeantum
Et hinc per aures, hincq; tonantium
Ahenearum sibila glandium,
Ad arma quandocunq; ad arma
Horrida signa tubæ vocarent.
Testis cruentos in mare vortices
Volvent Britanum Scaldis ad oppidum
Bergam, quod à limbo, institaq;
Nomen habet, Thetis ipsa testis.
Tunc Herculi cum sævus Iber tibi,
Heu, mole plusquam Gerionacea
Tribusq; Præfectis timenda
Classe ferox, catapulta Ibera

Die Hildam.

Berghen op Zoom.

Orbem

Orbem jocundi luminis abstulit:
Pessumq; navim pæne dedit tuam:
Quid hostis exultas, & ante
Tempus Iö canis & triumphe?
Victoriam præcedit ovatio,
Hac vertet at mox in lachrymas tibi,
Et funera. heu quanto tibi unus
Constitit hic oculus Löisi?
Pro quo coacti linquere lumina
Plus mille Iberi: ne referam Ausonas,
Gallosve, Germanosve: magnis
Piscibus, alitibusq; præda
Iactantur algæ mores cadavera.
O suave nautis Mattiacis nimis
Maetroos. Spectaculum Hispanos natantes
Cernere: non homines, sed utres.
Magna hæc fatemur, magna quidem, ô bone,
Majora si non illa forent tamen,
Ad patriæ telluris oras
Bella, gravi memoranda plectro
Pugnata Marte, atq; auspiciis tuis
Qua Scaldis ingens, nomine item Scopi
Arx dicta, propugnaculumq;
Mattiaco oppositum furor
Lillöiano præsidet aggeri.
Quæ cuncta, quæ tu Spiritu, uti puto,
Dei, nec erro, non sine æris
Fulminibus, volucriq; ferro

Difflare,

Difflare, & hostem præsidiarijs
Fisum, latebris, & positu loci
Nido erutum suo in patentes
Luminis extrahere ausus oras.
Majora si non illa etiam forent,
Bis octo (mersas adijce sex rates)
Viris probè instructas, & armis
Hostibus eripuisse cumq; his
Tormenta centum bellica, deniq;
Vicarium ipsum classis item Duces,
Et primipilos, quiq; summum
Imperium in genus hoc habebat
Hanstediana progenies domus,
Prætoria cum nave Thalassico
Vexisse captivos triumpho
Eximiæ spolia ampla laudis.
Gregarium nam quid genus attinet
Referre? pessum quos pariter simul,
Pronosq; per caput, pedesq;
In freta præcipites dedisti.
Sed vince terra, jam pelagus tuum est:
Nec te periclum terreat, aut labor.
Magni laboris magna merces,
Estq; sibi pretium ipsa virtus.
Virtus negata lubricum iter via
Tentans, nec unctas ex facili petens
Palmas: anhelanti sed ore
Usq; ferens per acuta plantam.

Sed ô, sed aures jam crepitus ferit
Tonantis æris: Martia jam sonant
Tormenta, jam fragor tuborum
Sulphuris, & salis, atq; nitri.
Iam glandeæ ictus vi segetis, palus
Remugit. heu quantum heu spatij est tamen
Hæc inter, & nos? heu quot Hydræ
Semina conficienda restant?
Papenmeer Ducenda per tot millia passuum
Die Vliet. Fluenta, quantum Flaminius Lacus,
Flavusq;, Lugduniq; distant
Mœnia Rotterodamo ab urbe
Ducenda: quid tum? adde etiam insolum
Acclive, quanto Lædæ ager & plaga
Rheni, Scydamæ, Delphicæq;
Altior est regionis ora.
Omitto palos auxiliaribus
Obstacula undis dicere, & obijces,
Sudesq; defixas sub alto,
Hesperij indicium timoris.
Inserta fundo culmina nec libet
Referre, & æquos mœnibus aggeres,
Molesq;, præsens unde nobis
Exitium peperisset hostis,
Parcente festis ni Batavis DEO,
Via una tandem inventa foret tibi
Löise, quà importare fruges,
Quaq; cibi genus omne posses

Lugdunum in urbem. namque colonia
Dulci à propinquo cui titulus Lacu est, Sœtermeer.
Nostris inaccessa, irritoque
Impete sollicitata pridem
Segvardianam flectere iter viam De Segvvertse vveck.
Versus monebat: scilicet ipso aquæ
Cursu vocante huc Caeciaque
Flaminibus toties cupitis.
Præsente quorum subsidio, & DEI
Iuvante victus numine, non modò
Hostis Sutermæram coactus Sœtermeer.
Linquere, verum etiam recessus
Benthusiæ, usque ad Nordaicum sinum, Benthusen
Et porta nomen pascua queis dedit, De Noorda.
Rectaque quæ Suteroaldæ De VVeypoort.
Vsque sacras via ducit ædes. De Kercvvech van Sœtervvoudo.
Ne quicquam Ibero præsidio minax
Vastatur agger, quicquid & obijcum
Inter lacum, Benthusiamque est:
Fit via vi, patefitque velis.
At qui misellis hæc bona civibus
Redux in urbem nuncius adferat
Est nemo. Ita omnes ex eodem
Fonte simul Stygij soporis
Oblivionis pocula quæ vocant
Traxisse visi. & fors sapiunt sua
Sententia, ut qui ferre rursus
Esuriem, obsidiumque nolint.

Quos

Quos esuriisse hei plus nimio est semel,
Semelq́ passos obsidium satis,
At non columbæ sic Diones,
Quæ cupidis sine fine solæ
Mansere fidæ rebus in ultimis,
Löise, jussi dum memores tui
Nexas pedi ferunt tabellas.
Quid vigil obsidio, quid arces,
Aut valla prosunt, per spatia invij
Eunte cœli nuncio? idem Harlemi
Fecère Bruti exemplo, ab acri
Cum Mutinæ urbs premeretur hoste.
Sed rursus aures jam tonitru quatit
Æris, micantq́ incendia, non sine
Caligine, obductumq́ cœlum in
Fumum abit, & piceos vapores.
At non vapores sic picei nocent
Incendiorum, fumea non ita
Caligo, quàm silvæ comantes
Quàm nemora umbriferiq́ saltus,
Desiderato iam nimium diu
Spectaculo nos qui prohibent frui,
Notare quò minus queamus
Nordaicæ bona signa pugnæ.
Umbræ invidentes, & nemorum comæ,
Silvæq́ spissæ, quid juvat oppidi, ô,
Dulcissimo privare fructu
Lumina, nec sinere uti ocellis?

At quantum

At quantum amabo, quantum erat, ut semel
Nostro arbitratu nos pateremini
Spectare per rimam hanc, vel illam
Auraicam modò posse classem?
Hoc gaudio nos tàm diu, & his bonis
Carere? certum est, Pancraticam ocius
Turrim petam, ascendamq;. Cunctis
Altior est locus ille sylvis.
Videre pristes hinc procul, & rates
Pictas licebit, signaq; singulis
Affixa: nec videre tantum,
Verum etiam numerare totam, atque
Obire classem. fallimur? an qui amant,
Gaudent sibi ipsi fingere somnia?
At nil puto hîc imaginosum est,
Sed vigilans video ecce amicas,
Videre certè vel videor notas,
Prætoriiq; insignia Carbasi:
Deq; ære tormentorum in auras
Surgere fumificos vapores.
Macti este fortes, quos veneror, viri.
Macti Batavi, & Mattiaci Duces.
Macte Imperator, macte Ductor,
Nassoviæ Böisote classis.
Non usitato pergite tramite
Irrumpere arces, ire per ardua,
Depellere obsessis propinquum
Civibus exitium, famemq;.

Tu verò

Tu verò, votis quem sibi tam diu
Suspirat omnis Belgica vindicem,
Præ cæterisq; Lugodunum,
O patriæ pater atq; custos
Averte genti perniciem tuæ.
Nec est, sibi Dux quod metuat tuus
Ab hoste, te vivo Aurasine:
Quod metuat tua Læda, non est.
Cœlo supinas te siquidem manus
Ferente, non se cernis, ut æquoris
Attollat æstus, & capessant
Morigeri tua jussa venti?
Sed quid boni nam Cypridis attulit
Emensus altum nuncius æthera?
Agnosco speratas tabellas,
Iamq; manum toties cupitam.
Tua hæc Löise est, qua trepidis opem
Addicis almam tempore in ultimo.
O literæ optatæ, ô jucunda
Mî meminisse diem voluptas;
Vocanda votis ô quoties meis
Nox illa, dextra cum pariter simul,
Lævaq;, qua Stompuicum aduiq;
Ducit iter solitos agrestes
Socravienſi calle Coloniam
Versum occupato, fulmineo impetu
Adortus Hispanum, in timorem
Inq; fugam subitò dedisti;

Stompvvy kervvech.

De Kercvvech ran Sœtervvoude.

Verum

Verum in timorem, veram etiam in fugam:
Suscepta quæ frustrà, aut temerè fuit
Plerisq; quos ferrum, vel unda
Abstulit in Barathrum, crucemq;
Testes triremes, quas decies quater
Classi coactus addere Celtiber
Nostræ: Suteroalda testis.
Ipse licet videas, ut aptis
Et expeditis sarcinulis nothi
Migrant coloni, jure duellico
Et Mauritano possidentes
Mancipio nihil omnia usu.
Nec templa prosunt his sua, nec foci,
Asyla, & aræ: sed fugiunt focis,
Templisq; desertis, & aris:
Nullaq; spes nocuis Asyli est.
Manipulares nam quid agant, metu
Quassu Tribunis? jamq; receptui
Lupo canente ipso, palamq;
Colligere accelerante vasa.
Qui cœco anhelans limite, iter tamen
Emensus udum est, sed glaber, ac madens,
Imò impedimentis relictis
Cum vidulis, corioq; tecta
Capsa, tabellæ queis inerant Ducum
Et codicilli. quæris ubi cohors?
Pars cæsa, pars tellure in uda
Mersa natat, reliqui fugati

Facta

Facta & tubi ipsis murifragi unius
Iactura, præter quos nemorum abdita
Dedere. pars adhuc enim unà
Cum dominis latet heu profundo
Depressa. quanto tu sapientius
Baldæe? qui, post principia ut fores
Iam caveras tibi antè, Pyrrhi
More loco catus imperator.
De VVrovvenbrug. Meerburg. Papenmeer. Lammen.
En ordine apto quot fluitant mari
Patente vela? hinc fœmineum occupant
Pontem: inde Mærburgum, Lacumq́ue
Flaminium, referantq́ue claustra.
At restat unus nunc etiam scrupus
Lamberte molis septa tua, loci
Munita natura, virûmq́ue
Præsidio, validuq́ue gerris.
Hinc pungit altè cor stimulus mihi
Quid hoc novi? ipsi sponte sua fugæ
Dant terga, perculsiq́ue corda
Insolito trepidant pavore.
Gaudete cives, ipsaq́ue sydera
Transscendat index lætitiæ sonus
Grataq́ue voce, Iö Triumphe
Bis, ter Iö, quater & Triumphe.
Iöq́ue Pæan dicite, Iö, Iö
Triumphe, Pæan. en cupidæ imminet
Löisus Urbi, ligneoq́ue
Vectus equo per aquosa Tempe,

Capesse

Capeßit ad nos versus ovans gradum
Speratus hospes. sed remoramini
Iö Triumphe, Iöq; Pæan
Dicere & ingeminare Pæan.
Nec voce vobis Stentorea hic opus:
Iö Triumphe expromere opus modo.
Iö Triumphe, Iö placebit
Vox decies repetita Pæan.
Sed jam Camillus noster abest propè.
Eamus omnis obvia civitas.
Eamus, & laudes Löiso
Unanimi cumulemus ore.
Nunc plectra Musæ pellere, nunc lyram,
Eburna tempus plectra, lyram auream:
Nunc viva, olorinaq; voce
Exanimes animare versus
DEOq; summo dicere gratias
Referre quando nostræ opis est minus.
Mutavit ille Lædam in urbem,
Et Batavos sua dura corda,
Mutante Læda urbe, & Batavis sua.
Hollanda parca gens fuerat manu,
Leviq; castiganda flagro
Heu meritò ob malefacta dextra
Parcente castigavit eam DEUS:
Amica at idem pectora denuò
In pœnitentem nunc resumpsit;
Lenis ut est, facilisq; flecti

E *Aurem*

Auremq; promptus supplicibus suis
Præbere. mutant astra poli vices
Mutantur & poli vicissim
Sydera, res variante fato.
Iberus ultrò Cattigenas prius
Audax iniquo Marte petiverat:
Nunc ultro & æquo Marte contra,
Mutua uti faciant, Iberos;
Qui se patebant, Cattigenæ petent.
Iter reclusum est, claustra patent: licet
Impunè Gaudam, & ire Delphos
Calle novo, per Ibera castra.
Manu ire factum per pelagus licet,
Iustasq; pœnas Læda reposcere
Prò civibus, quos fortè ferrum
Vel tibi glans inimica ademit.
Camille noster flos Böisoticæ
Löise gentis, sume superbiam
Virtute partam, Iö Triumphe
Bis, ter Iö, atq; iterum Triumphe.
Tibiné Magnus dicere se parem,
Tibiné Magni filius audeat?
At casus amborum, exitusq;
Hoc prohibent: quid enim? hic & ille,
Dij quod parem se gesserit, occidit:
Ipse, imparem te quod geris, imperas.
Iö Triumphe, Iö Triumphe
Sæpius, atq; iterum Triumphe.

Camille

Camille noster, en tibi fuscinæ
Ius Terriquassor, en chlamydem tibi
Udo nigrantem, cæruloq;
Murice, qui vada, belluisq;
Pontum scatentem, barbara qui freta,
Latèq; campos undivagos regit
Transscribit: ô cui prompto Achylles
Impete, consilioq; cedat
Trisecli heros. jam Tenera, & Lisa,
Scalduq;, jam sub jura Sabis fluet
Magni illius magni Aurasini
Iura, tuo Böisote ductu.
Gulielme Princeps optime Principum,
Idemq; victor, ante obitus meos,
Lux illa ut illucescat urbi,
Qva videam spoliis onusto
Curru Aurasino, sub clypeis suis
Sedere victos Hesperiæ duces
Ipsam & novam Inquisitionem
Ire tuis famulam triumphis.
Hinc coleatum Pontificem trahi:
Vergamq;, & Albæ parte alia Ducem
Heu Regulorum Egmondi & Hornæ
Manibus inferias referri.
Cæpto sed usus est modo, cætera
Res ipsa, & æquus expediet DEUS.
Ipse incipe, atq; assuesce porrò
Vincere: jam tibi cuncta fausta

Verax Sacerdos Aonidum cano:
Seu forte Iberum, seu Tyberim petas,
DEO auspicante perge: neu te
Otia dum patriæ procuras,
Cavesq; Belgis sollicitus tuis
Nostris iniquum seditionibus
Velocior subducat auræ:
Hic meritos potiùs triumphos
Petas: Pater dici hic, Patriæ; hic ames
Audire Princeps: neu Requesentium
Istum rogo impunitum abire
E manibus patiare victor.

ODE II.

In gratiam Lugduni Batavorum, virtute DEI Auxiliaris secunda eaq; gravissimâ obsidione liberatæ, ac tandem ex Orci, hoc est, Hispanorum faucibus ereptæ ac restitutæ.

O Nec Batavi degener ingenî,
Nec haustra belli fluctibus: haud mihi
Sedes paterna, sed paternum
Proximè agrum sita Lugodunum;
Seu culta mavis Leda vocarier,
Utroq; fœlix nomine civitas
Sed nec venustatis mihi ergò
Carminius: socia atq; amica

Quondam

Quondam Latini nominis, & caput
Germaniarum: credere si licet
Fastis, nec Antoniniana
Falsa pinax: faciuntq; nobis
Britannicæ arcis relliquiæ fidem,
Vicusq; Catthorum; hic ubi tertium — Catvvyk.
Rheni ostium, tunc usq; pleno
In mare se exonerantis alveo.
Quid, non videre hic mille nomismata
Quasi tabellas naufragij licet?
Hic imbrices notare scriptos,
Hic lapides monumenta Caij est?
Sed nec severi his nomen abest locis,
Aut Pertinacis: nota etiam tua
Moneta Flavi hic. at imago illa
Est operæ precium referre,
Pænè umbilicum quod medij oppidi
Insedit umbris pomiferis nemus.
Situm & loco, acclivi undequaq;
In tumulo, editiore Pyrgum. — De Burcht.
Qvem circinato mœnium ut ambitu
Sic arcuatis fornicibus novum
Putatur Engistus Britanno
Orbe redux posuisse victor.
Et prisca multa hic. deniq; quem latent
Antiquitatis rudera, qua vetus
Romæoburgum Albiniana ad — Romen-burch.
Castra, quasi digito, expeditum — Alphen.

Ducit viatorem. Horrea nec loquar
Rheni per actam disposita horrea
    Romana: cum pax alma Belgas,
    Alta quies Batavos haberet
Non castra, uti nunc. heu ubi tempora
Cum liberi, immunesq; onerum omnium,
    Obnoxij & nullis tributis
    Cattigenæ: neq; Publicani
Quicquam timeret lucripetas manus:
Sed belli in usum sepositi viros
    Tantum ministrarent, & arma
    Imperio, dominæq; Romæ?
O seculum illud si redeat modo
Originem omnis quo videam mali,
    Istos agasones Iberos
    Coprophorosq;, amethystinatam
Hanc dico Lernam, illò undè malum huc pedem
Tulere, Gades usq;, vel ultimas
    Efferri in oras: non Linus me
    Carminibus, neq; vincat Orphei
Testudo, quamvis huic genitrix, pater
Illi adsit, Orphêo Calliope, at Lino
    Apollo. nunc contracta serpit
    Vix inopi mihi vena rivo.
Non te meis, non Læda ideò tamen
Indictam abire, ô, versiculis sinam:
    Totq; oppidanorum labores
    Dente teri malè putris ævi.

Tu me,

Tu me, Vibaldi cum fugerem manum
Piraticam ob vim linquere patrij
Hæredij coactus arva,
Et Boreæ, mea regna, vicum Noort-vvick.
Vicini avitum littoris hospitem,
Altum, atq; fotum ceu gremio tuo
Civem recepisti, noviq;
Hospitij cumulasti honore.
Exin secundum vota biennium
Curis soluto viximus otio,
Et pace florentes, boniq;
Rebus, amicitiaq; Vorsti.
Donec refulgens Sol melior polo
Luxit cupitam Cattigenis facem,
Qva parta libertas, tuoq;
Hesperiæ juga servitutis
Excussa collo: jura Pataviæ
Reducta, Ibero pressa diu pede.
Hic qua fide, & fidelitate
Adfuerim tibi, civibusq;
Qvam fortem opellam præstiterim tuis
Callere nemo te melius potest:
Ut quæ ipsa non aurita dicet,
Sed fueris oculata testis.
Cujus rei ergò me quoq;, cum novum
Vrgeret hostis obsidium, auspicem
Nuper tibi elegisti, & uni
Ipsa tui populi ducatum

Vltrò tot inter millia deferens,
Jußisti, ut essem præsidio bonis,
Exemplo inexpertis, timori
Rerum avidis nimis, heu, novarum.
Et hic fidelem scis operam tibi
Navasse, blandis conditionibus
Dissentientem, quas ferebant
Huterius Mathenesiusq;
Qvi gratiæ obtentu, heu, velut illice
Cæsto, usitatis tendiculis sibi,
Fame fatigatos studebant
Illaqueare animos popelli:
Semper quidem, illo at præcipuè die
In re frequentes cum fuimus simul
Lanöiana, impunitatem,
Et veniam ingeminante clarè
Ipso tribunatu, ac modò non fide
Iubente. quidni? sic homines erant
Exulcerata veritatis
In studium, fideiq; pœnæ,
Insanienti gens sapientiæ
Misselycke lust. *Addicta, sacris Flaminicis egens.*
Cujus rei ergò & lingulacas
Omne genus puto, Cæruliq;
De Blavve-steen. *Saxi agmen in nos, quippe famelicos,*
Anusq; quantum est, & silicernia
Civere. sed nec obstetricum
Defuit his labor aut voluntas

Puer

Puerperi quæ causam agerent gregis,
Partu negantes posse operam dari
  Succi indigo. & clam sæpè, ni mox
  Deditio fieret, minari
De nocte vectes, atque repagula
Portarum, & urbis claustra refringere,
  Morasque valvarum, ante cæsis
  Excubijs, vigilique cœtu.
Ad oppidum hosti quo pateat via
Tranquilla, quod tentatum aliquoties
  Abrupit à tergo maniplus,
  Qui statione metu relicta
Cessêre. quorum perfidiæ obviam
Si me ipse dicam, plus nimio mihi
  Sumam impudens, nec sim ferendus.
  Ille DEUS, DEUS ille nostri
Læda, ô, misertus restitit, ille te
Tutatus & nos præsidio est suo.
  Ille Imperator noster, ille
  Excubitor fuit, atque custos.
Idem ille, qvi cœlum & mare temperans
Ventosque tollit, vel premit, ut libet,
  Non carcere inclusos, ut olim
  Æoliæ dominator aulæ.
Sed nec tridente, aut cuspide rem gerens,
Nutu procellas, atque hyemes regit:
  Nutu profundum, & impotentes
  Mulcet aqvas, aperitque Syrtes

Qui nempe, & æstus æquoreos tibi
Auxit secundo flamine Caciæ,
Injuria quo abacta Cauri
Aggeribus rediere ruptis
Undantum aquarum flumina, non sine
Maris tumultu. nec satis, Africus
Sequutus: hunc juvere nimbi
Assidui, pluviisque rores.
Quid multa? tandem nos voluit DEUS
Via beare hac. scilicet ut foret,
Rynlant. Rheni per agrum quæ tua usque
Mœnia aquis daret aura cursum.
Qui, jam tibi pene & macie, & fame
Findente costas (ó nova temporum
Vicissitudo) non medimno
Non modio, neque chænice (ut mos)
Sed horreo ipso triticeas opes
Admensus, halec, & muriatica
Refudit ad plenum benigno
Luxuriæ genus omne cornu.
Pomona fructus neu referam tuos,
Pressique lactis munera caseos
Tinas mero, effertasque Zytho,
Mellis item, butyrique rivos.
Illi ergo par te dicere gratias,
Decetque laudes: atque aditus DEUM
Vocis reclusis saxa & ipsa.
De Burcht. Ipsum etiam resonare Pyrgum

Docere

Docere. qui nos tàm prope perditos,
Post qvadrimestris obsidij moras,
Oclo saginante & paterno,
Ceu Solimos miseratus olim,
Cum fulminū ritu, aligeri unius
Dfflante Phœnicum agmina spiritu
Centena millia, octiesq;
Vna decem dedit hora lethe.
Sic & DEI nunc non sine numine
Corda insolentum perculit hostium
Perterrefacta machinarum
Horrisono Böisotus ære.
O quæ voluptas, quæ tibi gaudia
Pessum ire spectanti, & fluvio impetu
Vndantium arvorum per æquor
Naufragium facere, abripiq;
Malam in crucem Hispanum? ut volupe, ut novum
Spectaculum tàm suave oculis dari?
Vt cuncta mirari peracta,
Quæ fieri neq; posse falsus
Iurarat hostis: qvin citius, manu
Futurum, & astra ut, more Promæthei
Prehenderemus, qvam imminenti
Nos DEVS eriperet periclo.
Manu prehendas astra poli licet
Baldæe, dignus Caucasea alite.
Pulsis tuis tecum, imminenti
Nos DEVS eripuit periclo.

Sed

Sed ut facetum Læda, ut amabile
Audire gratantum agmina civium
Famemq; & exactos labores?
Ut meminisse juvat malorum?
Certè videbar luci iterum datus,
Vix mi ipse credens carnifices manus
Exisse, & in tuto videre
Me patriæ superesse civem.
Camille noster ô Böisotica
Lux gentis, unum quem Batavi Ordines
Suæ esse præfectum, simulq;
Mattiacæ voluére classi,
Partesq; primas cui dedit oppidum
Fame levandi provida vindicis
Cura Aurasini, cœpta cujus
Auspicijs, tibi res peracta est.
O Christianæ militiæ decus
Löise: soli nam tibi post DEUM,
Et Principem, acceptam, tuisq;
Auxilijs ferimus salutem.
Quod vivimus, quodq; æthere vescimur,
Tuum Löise est, tu bona, tu lares,
Nurusq; liberosq; nostros,
Urbis & hanc faciem, Dei in nos
Amore summo, ac Principis optimi,
Periculisq; & consilijs tuis
Ferro atq; flamma, ac pæne fati
Faucibus eripuisti, & enses

Curvasti.

Curvasti Iberos. accipe adoreas
Virtute partas, accipe Civicam:
Non simplici è lauro, sed auro
Mille simul meritus coronas.
Majora porrò Nobilitas tibi
Nostra, & Senatus, & populus parant,
Nummum aureum, aureumq; torquem.
Cui similem, puto, Gallo ademptum
Quondam Titus collo applicuit suo,
Insigne Torquati: unde etiam notam
Transmisit in seros nepotes,
Dignus eqves meliore fato:
E marcido urbis gramine nos damus
Obsidionalem intereà hanc tibi
Prò tempore, Imperator. at tu
Despicere hoc levidense quamvis
Caveto munus pauperis oppidi.
Auro imparem, & nos dum tibi cudimus
Nummum, & monile, nominum cum,
Principis ob meritum, Ducisq;
Inscriptione hac, Principis Aurasi,
Ducis Löisi, *sed Boisotica*
De gente: quorum juncta sæpè
Latus ego referam, libensq;
Trophæa vates. sic etiam additus
Mars à Camænis sæpè Iovi & suo.
Hic fulminum vi victor, ille
Sanguinea metuendus hasta.

Nunc Læda vellens auriculam mihi
Appellat, oblitum & queritur sui.
Mî vive longum, vive dulcis
Hospita: vera etenim fatebor,
Dulcis fuisti: vive diu precor,
Nec commeatus indiga, nec peni,
O cara Lugdunum: tibi nec
Proditio, noceantve fraudes
Domestici hostis. hoc patriæ est opus,
Et principi. hoc te velle etiam decet.
Sed vis, potesq; ave ergo magni
Omne memor Böisoti in ævum.

ODE III.

AD EANDEM.

URbs Læda, nostra non sine gloria
Semestris arctas obsidij moras
Bis passa Semimauro ab hoste:
Obsidioq; eadem bis anno
Soluta eodem. mentior? (haud puto)
An nomini fatale Löisico est,
Bis Lugodunum, bis Batavos
Asserere Hesperijs ab armis?
Namq; Löisi Nassovij anteà
Vi liberati, nunc Böisoti ope.
Vt nominum, sic fata rerum:
Navibus hinc: equitatu, ab illo.

Flos urbium, ô quæ se tibi comparet
Tantoq; fastu sit rogo civitas
Suas ut ausit res tuorum
Fortiter æquiparare gestis?
Sancte via? at hosti se dedit hæc tamen
Cantatam Homero, qui volet, Ilium
Collesvé septem penicillo
Et liquido excipiat colore.
Hic Harlemî, alter Alcmarij situm
Ponat, mihi sit si docilis manus
Ebur, vel expolire ceras:
Aut tabulas animare fuco:
Non Romuli arces, non ego Pergama;
Carthaginem non Imperij æmulam:
Aut nostra, si quis fortè malit
Nomina, non graviter dolentes
Vinci Harlemæos, nec Veteres Aquas Gudervanæ.
Non Alcmari urbem cedere nesciam:
At te, tuosq; Læda honores
Cum Tribubus, Regionibusq;
Turrita Divûm templa, domos, fora,
Viasq; & hortos, flumina & ambitus
Murorum & ambulationum
Munditiem: hinc inimica circum
Vexilla, gerras, mænia & obyces
Munitionum, valláq; & aggeres
Arcesq; propugnaculorum
Exprimerem. Sed honos caducus

Imago

Imago picta est: at celebraverit
Quodcunque dignis laudibus oppidum,
Urbemve vatis Musa vivet
Perque virûm volitabit ora:
Dum terra sylvas, sydera dum polus
Convexa pascet: notaque posteris
Florebit, in Serumque Fastis
Forsan & Antipodum legetur
Virtus, favorque & lingua potentium
Tantum Camœnarum ac Genius potest.
O unicum fidelitatis
Et fidei veniens in ævum
Exemplum avitæ: non ego te meo
Abire in ornatam elogio sinam?
Totque oppidanorum labores
Dente teri maleputris ævi.
Certa & tenax mens propositi tua
Pejusque læto perfidiam timens
Meretur Andini referri
Alite Mæoniique versus.
Pugnare in hostem ludus erat tibi
Quem feceras sic arbitrii tui
Coram ante oclos ut cogeretur
Ire boves vitulosque pastum
Spectare totos aßiduus dies
Et pabulatum manè pati gregem
In pascua educi: quid extrà
Mœnia tum procul oppidoque.

Frustra

Frustra juvencis bella moves Iber:
Frustra locas muto insidias gregi.
Abi, nisi plagas lucrari,
Vincula, perniciemq́ mavis.
At te boni omnis conditor & dator
O Læda dignis mactet adoreis,
Invicta bello, aque hoste nunquam
Sueta manu vacua redire.
Qui non equum vi, non potuit dolo
Auferre contra, vel vitulum tibi:
Non liberè errantem paratis
Excipere insidiis juvencam.
Vidi ipse vidi, castra sub hostica
Præda ipse prædo cum fieret tibi,
Parte in soporem collocata
Fusa alia, reliquisq́ captis.
Quos, mutuum ne non faceres tua
Ex parte, raptos ilicet in crucem
Ductoris Andreæ, ac tuorum
Manibus inferias dedisti.
Ausa & latebris eruere (hanc tibi
Marane, tollet nulla dies notam)
Hostem nitri vi fumeoq́
Alveolis ut apes, vapore.
Coacta in arctum quid faceret manus
Pugnent ne? res fracta hoc vetat & timor:
At terga monstrarent, sibiq́
Effugio parerent salutem.

F *Factum:*

Factum: sed haud impunè: etenim huic malo
Occursum erat jam, dispositis prius
A fronte, qui contis, & hastis
Rem gererent, acieq; ferri.
Vidi ad solum & facto impete cum dares
Hostile vallum, non sine proximi
Terrore castelli pericla
Dum faciunt aliena cautos.
Tecum paratis civibus aut mori,
Aut vincere, unum scilicet hoc timens
Batavâ deduci Marano
Non merita ingenuâ urbs triumpho.

ODE IV.

Ad LUDOVICUM BOISOTUM Batavicæ Zelandicæq; classis Præfectum Lugduni Batavorum urbis liberatorem.

DIgnum potenti pectore quis melos
Deducere istis promeritis tuis
Potis Löise est? quive verbis
Aut claria valet arte tantum,
Victorijs tot fingere qui pares
Queat Triumphos? totq; tuas benè
Æquare res gestas canendo
Composito Boisote versu?

Nemo

Nemo hercle, nemo, nemo erit ut puto
Mortali amictus corpore, namque si,
Virtus ut ipsa dignitasque
Nota rei petit, eloquendum est,
Deus, Deus certè ille, Deus *fuit*
Löise mentem qui tibi masculam,
Mares & inspiravit ausus
Per vetitos dare vela aquas
Ductus manu & facta ire per æquora
Cæsis, redactisque hostibus in fugam.
I nunc, Athonque à continenti
Mi objicito, pariterque quina
Revulsa Atho cum monte suo oppida;
Cum Barbari irrupere novum mare
Medæque cum robur juventæ
Per medium rate navit Isthmum,
Ignave Xerxes, magnum opus ut tibi
Videris, ausus: Sed cui, dic, bono,
Aut quos in usus? fructu inanis
Nempe, supervacuique plausus.
Bono nec ulli qui fuit usui.
At iste fælix iste tuus labor,
Löise, non Lædam, nec unam
Hesperio modo civitatem
Levasse censeri obsidio potest;
Sed publicam & Rem sed patriæ solum
Bataviamque quantacunque est
Indomito asseruisse ab hoste.

Dux Scipioni pœnus utriq; item
Vult anteponi Rex Macedo: at tibi
Quis comparari ausit Löise?
Hannibalem nisi forte dicas:
Per nullius trita ante solo juga,
Dum raptat agmen, arma viros, equos
Trans montium anfractus nec æquis
Tramitibus docet ire barros:
Servare notam dum nivibus vetans
Alpes fidem, ferro hinc scopulos secat,
Facta hinc putre excoquens aceto
Sulphureo cavat igne saxa,
Per Herculis vestigia iter novo
Princeps sequutus limitè, quà truces
Vestæ focis inferre & urbi
Posset Afros, Capitolioq;.
Mortale tunc passa ipsa fuit jugum
Natura Pœnis & legionibus
Insessa Pennini Alpiumq;
Ardua, pennipotentibusq;
Volucrium vix pervia seculis,
Vidit nivosis compedibus juga:
Subactæ & humanis lacertis
Frena pati didicere rupes.
Verum ille quorsus pertinuit labor,
Quive exitus? ó gloria, vincitur,
Nempe idem abitq; victus, inde
Exilium exilio usq; mutans,

Ad Prusiam

Ad Prusiam se contulit, atque ibi
Magnusque mirandusque sedet cliens
Prætoria ad Bithyna, sævo
Dum libeat jugulare Regi.
Cannensis hinc mox sanguinis annulus
Sequutus ultor, at puto Claudium
Auctoritas Cornelij hic mi
Objiciet, popularitatis
Ergo, Batavis regibus editum,
Qui dextro & orbus ipse oculo fuit,
Oris de honestamento eodem
Hannibali similis, tibique.
Civilis hic est, ille itidem obviam
Heu Romulæ ausus ire Tyrannidi:
Uindexque libertatis idem
Unanimi celebratus ore,
Et Gallica, & Germana per oppida,
Per & Batavos, dum Batavi forent,
Non Bæthyco, ut nuper sub Alba
Expositi, quasi præda, venum.
Sed tunc minuti ceu capite, ac velut
Captiva bello mancipia, ad stuprum
Paßim trahebantur, dabatque
Nomina militiæ juventus.
Delectu habendo namque aberat prope
Vitelliano cum imperio dies
Indicta, natura suapte
Illa quidem gravis, ac molesta,

Cornelius Tacitus.

Claudins Civilis Batavorum Imperator.

At reddita usu tunc gravior tamen:
Culpa inquam eorum, qui magis in dies,
Magisq; rem malam aggravabant
Sordibus, indomitoq; luxu.
Quando vel annorum invalidos situ,
Morbove, quos dimittere mox queant
Mercede quærunt: contra ephebos
(Atq; (tuo Tacite utar ore)
Plærisq; procera est pueritia.)
Ævo, atq; forma conspicuos, suæ
Libidini inseruvie cogunt.
Materia hic odij, fovente
Gliscentis ignis semina Claudio
Promptißimos qui plebis, & optimus
Ut quisq;, maximusq; visus,
Schaker-bosch. *Publici epli Spetie inq; Sacrum*
Nemus vocatos, incaluisse ubi
Nocte, & lubentes ac hilaros videt,
A laude, gloriaq; gentis
Capto adeò auspicio, hinc pudoris,
Hinc vilitatem sanguinis, ac graves
Injurias, & cætera servitî
Mala, inde Legatorum avarum
Imperium, comitumq; fastus
Exponit. hinc se Centurionibus
Porrò, & Tribunis sic quasi per manus,
Tradi: cruore quos deinceps,
Et spolijs simul ac replerint,

Mutari.

Mutari, & exquiri usque novos sinus,
Non una prædandique vocabula.
Instare delectum Vitelli
Quo socer à genero, à viro uxor,
A fratre frater, àque parentibus
Velut supremo funere liberûm
Stirps dividatur; rem nec unquam
Deteriore loco Latinam
Fuisse, nunquam perditioribus
Vsam ministris: jamque aliud nihil
Quam prædam in hybernis, senesque,
Nomen item legionum inane.
Tuistones *consanguineos sibi,*
Idemque voto supplice Gallias
Efflagitare: sed nec ipsi
Deesse equitum, peditumque robur.
At vos Latinum nomen, & Italas
Timere vires parcite: Cæsaris
Augusta majestas nec ulla
Vos moveat. quid enim? duorum est,
Vnius olim quod Domini fuit.
Quare nec ipsis Romulidis quidem
Bellum istud ingratum fore, alter-
utrius ob studium, putandum est;
Cujus gravem fati ambigui aleam
Vespasiano, qui volet, imputet.
Victoriæ nec summo victo,
Nec ratio solet ulla reddi:

Hæc ille gratis non sine plausibus
Effatus, omnes in nova Flavij,
Germanica execratione
Verba adigit, patrioq; ritu.
Nec longum, eadem lingua, & origine
Bruno Caninefatium dux.
Caninefates ac Frisios duce
Brunone (Transrhenana gens est)
Auxilia, & socios habebant.
Direpta castra hinc, prima acie in fugam
Datæ & cohortes: huiq; duodecim
Triremium mox capta classis,
Armaq; item, quibus indigebant.
Pulsumq; Romanum auspice Claudio
Tandem Batava nomen ab Insula,
Promiscueq; cæsi ab ipsis
Hostibus, & socijs Latini.
His adde fusis mox Legionibus
Turmas equestres auxiliarium,
Quas egredi raptim coactas
Ex Ubijs Trevirisq; in hostem
Flacci Ordeonî jusserat audiens
Mummius Lupercus Legatus.
Dicto Lupercus, nam neq; prælium
Bonnense, ubi Belgis repletæ
Corporibus, Latijsq; fossæ;
Herrennius Gallus Legionis primæ Legatus.
Herennianæ nec referam fugam
Stratæ cohortis, plenaq; Carbasa
Abrepta frumento: nec actas
Ex Menapis Morinisq; prædas:

Non

Non quassa trans amnem ultima Galliæ
Mosam, imminutas aut Treviris opes,
Cæsasq; vico in Marcoduro
A Batavis Vbias cohortes:
Sed nec mihi intra valla sua ordines
Strati Asciburgî, signaq; cum suis
Abducta captivis, & arma,
Carmen erunt. quid enim necesse hoc?
Victæ cohortes, captaq; Gelduba,
Novesio mox non procul oppido
Pugnata equestri Marte pugna
Alterius memorentur ore.
Me castra, nomen queis Veterum, juvat
Mummi duabus cum Legionibus
Disjecta non levi ruina,
Ausoniis fidibus referre.
Cum Sarcinis quæ, parteq; præsidi
Turbaq; calonum, atq; pecunia
Gallisq;, Germanisq; prædæ
Supposito dedit igne Ductor.
O ille quantis stragibus editis
In hoste vindex? Sed dubio diu
Sub Marte, & amissa suorum
Parte bona, haud sine clade victor.
Tentata huic nam plus viæ simplici,
Nec furtim, uti nunc: Sed violentia,
Virtute sed vera. Proinde
Hesperij, fideiq; Pœnæ

 Vertumni

Vertumni agant ritu omnia, nec putent
Referre quicquam, Mariéne remigerant,
An arte, dum vincant, oventq́;:
At Batavi, Frisiiq́; in hostem
Stabant, loco gens quæq́; suo, foret
Discreta virtus quo manifestior,
Hinc inde telorum pluentes
Grandine: quæ malè posteaquam
Vibrata pinnis irrita manium
Vident, & ipsis pleraq́; turribus
Hærere, clamore, impetuq́;,
Unanimi insiluere vallo,
Frustra: suis nam viribus obruti
Plerią; scalis appositis cadunt,
Testudine hi facta suorum
Scandere cum gladijs parantes
Suisq́; telis præcipites dati,
Armisq́; quassis non sine maximo
Fragore, vi pilorum ab hoste
Desuper, & sudium obteruntur,
Nec territi tot casibus, & malè
Sumptis, nec ulla fruge laboribus,
Audace desistere cœpto
Cattigenæ: sed eò mage ire
Ardentium hastarum ignibus obviam,
Excussa fundis nec balearibus
Timere, balistisve saxa: hinc
Arietibus, pluteisq́; adactis

Cum

Cum vineis & cratibus: at nova
Inde arte structis materiis modum
In pontis, eductaq; turre
Cum duplici tabulato in auram
Mole hosticorum quæ tamen asserum
Valentium plus, & trabium impetu
Perfracta, non parvam dedere
Cattigenis sociisq; cladem.
Sed hæc minor, præ quam Vocula bis dedit:
Cum forte lapsu stratus equi, suis
Immane Dux quantum paveris
Indidit, atq; animi Latinis.
Utriq; falso creditus indice
Perisse parti. mox ubi paruit:
Redintegratis cum suorum
Viribus, atq; animis resumptis,
Cingenda rursus ad Vetera altera,
Novoq; vindex obsidio redit:
Flacci Ordeoni cæde primum,
Mox etiam Voculæ peracta,
Cum Rufo enim pro tempore Herennium
Vincire visum Classice sat tibi,
Partes Batavorum juvare
Dum caperis, pariterq; tecum,
In Galliarum verba adigunt suos
O Rhene ripis præpositus tuis
Tutorq; & ejusdem Sabinus
Nominis, hic Trevir, ille Lingon.

Dillius Vocula duo & vicesimæ Legionis Legatus.

Vetera castra.

Numisius Rufus, & Herennins Gallus Legati.

Classicus domi nobilis, Trevirorum alæ Præfectus.

Julius Tutor & Julius Sabinus.

Uterq;

Uterq; Gallus, quorum opera quoq;
Civilis usus dum Vetera obsidet:
Septa hinc fame, inde pressa ferro,
Non sine Dijs animosus heros,
Vasta illa castrorum & spatia, & minas
Molesq; prompto diruit impetu:
Hinc Classico in partem juvante
Cum Treviris, equitumq; turba
Tungrorum. & hinc Lingonibus suis,
Freto Sabino: non sine Iulio
Tutore. qui omnes quam fidelem
Præstiterint socijs opellam,
Rhenina Testis gens Vbij mihi,
Colonia Agrippinensis. *Et nomen Agrippina cui dedit.*
Augusta, Tencteris, sitisq;
Trans fluvium auctu, opulentiaq;,
Invisa, tunc postliminio in fidem
Germaniarum, corpus ut in suum,
Revorsa: & oppressi occupata
Urbe Maguntiaco Tribuni,
Velleda virgo fatidica nationis Bructeræ. *Præfecto abacto, dum dare Galliæ*
Nomen recusant: cunctaq; Claudio
Secunda: Velledaq; missus
Muneri honorifico Lupercus.
Mummius Lupercus. *Voti ergo (de civile loquor) reus*
Tandem, patrata cæde tot hostium,
Russumq;, propexumq; crinem
Barbarico posuisse ritu.

Fertur.

Fertur, peremptis & Legionibus
Pœnas paratas, & sua vincula
Ultus satisfecisse fratris
Manibus, à Capitone falsò
Rebellionis crimine, per gravem
Injuriam oppressi, & vitæ reddita
Cruore Romano Batavi
Funeris invidiam piasse.
Celanda victis nec Sunicis mihi
Batava virtus, junctaq; partibus
Urbs Vindonissæ, Tertiaq;
Cum decima Legione capta
Iurisq; Galli facta Novæsium:
Cui, nec mora, & se mox Legio altera
Miscens relictis signa castris
Transtulit, anteeunte Sancto.
Eheu quot horum cum Legionibus
Quod deniq; alarum atq; cohortium
Hyberna subversa, aut crematis
In cineres abiere tectis?
At Claudius, jam, non Ubijs modò
Fractis, sed & Rheni urbe Colonia
Iussa Imperi ejurare nomen,
Ulterius penetrare Rhenum,
Mosæq; porrò victor ad oppida
Ire, inq; partes pertrahere institit
Tumultuariâ coactum
Raptim opera Labeonis agmen.

Julius Paulus frater civilis.
Jonteius Capito.

Claudius Sanctus.

Dedentibus se Centurionibus
Unaq; Tungrorum omnia, nec satis,
In fœdus accepti, fidemq;
Bethasij quoq;, Neruijq; :
Virtute ductrice, at cui Fors comes:
Pavore tactis finitimis, sua
Vel sponte mutatis. ita ille
Insocias sibi, deditasq;,
Cæca annuisset si Dea, Gallias
Germaniasq; intentus, & optimis
Et maximis regni utriusq;
Imperijs simul imminebat.
At obstitit non dignus avo nepos,
Bellum inchoatum qui temerè pari
Formidine, & cura peractum
Deseruit subitò Sabinus.
Sabinus hosti Sequanico suos
Committere ausus non benè Lingonas,
Insignibusq; cum Latino
Fœdere depositis superbo
Audire Cæsar nomine. scilicet
In pejus ex illo heu ruere omnia
Sublata rursus atq; prono
Limite in exitium referri,
Par esse nam tot quis Legionibus
Ultra cohortes auxiliarias
Quis posset. hinc stetere Remi.
Fœdera respicere icta, susq;

Julius Sabinus, quẽ falso Divũ Julium inter proavos numerasse memorat Tacitus.

Civem

Civem monentes, ad Treviros quoq;
Datis tabellis nomine patriæ
Communis; Octava inde victrix
Cum decima Legione & ipsa
Victrice Sexta, hinc Una Vitellij
Cognomine, & Vicesima, atè recens
Nuperq; conscriptis Secunda,
Ad Veterum properare labem
Ritè eluendam credita: pars jugis
Traducta Graij, per gelidi hæ nives
Pennini, at illæ Cottianis
Alpibus, hinc Decima à Britannis
Accita Quarta, hinc Tertia, cui tamen
Prima ex Iberis est Legio addita.
Ergo tot adversariorum
Præsidijs Legionibusq;
Par esse Galli, par Treviri agminis
Dux possit? & quis? Classicus arbitror:
Longas at oscitationes
Ille trahens, in utramq; dormit
Securus aurem. Credo situ orij
Segnis, velut parto Imperio fruens.
At Tullius: verba ah sine ille
Instruat, inq; foro diserto
E tuto in hostem bella gerat loco,
Linguæq; forti pugnet acumine,
Virgas & ingratum recensens
Servitium, dominosq; fasces,

Tullius Valentinus Trevir.

Tribu-

Tributaq; immortalia, & objici
Quæcunq; magnis Imperijs solent.
Suæ hucq; civitatis aures
Obstruat, interea manus dum
Batava vicinæ avia Galliæ
Lustrant, & omnes excutiunt sinus,
Claudius. Labeo. Hostile nec ferunt inulto
Transfugium Labeoni abire.
Julius Tutor. Sed nec sat ipse in tempore Iulius
Germaniæ ripam exteriorem ope
Fremare matura, atq; jussis
Præsidijs properavit Alpes.
Quò nempè factum, ut præter opes eas
Quas ante dixi, Rhæticâ per juga
Irruperint & fœderatæ
Sextilius Fælix Auspice Sextilio cohortes.
xxi. Legio. Accessit his, quam retuli item prius
Vitelliano nomine nobilem.
Unaq; Singularium ala:
Factaq; pervia Vindonissæ urbs
Julius Briganticus Batavus. Brigantico, huic qui dux præerat gregi,
Sorore Claudi natus, uti fere
Acerrimæ cognationum
Esse inimicitiæ fuërunt,
Invisus, atque infestus avunculo.
Metu subactis sed Legionibus,
Aut spe ante corruptis ab hoste,
Sub duce quæ Trevirum merebant.

Quarum

Quarum insequutæ mox etiam fidem,
Auctore pridem non ita Claudio
In verba Galliarum adactæ
Fœderis Ausonij cohortes.
Bonnensibus ne cum Legionibus
Novesianos, aut Triboces loquar,
Accessione auctos recenti
Vangionum, Caracatiumq́ue.
At Tutor haud jam tutus, ut antea,
Ab hoste, vitata urbe Magontio
Se Bingium pulsus recepit,
Municipum comitante turma,
Amnis resciſſo ponte prius Nava,
Locoq́ue fidens. & benè, ni statim
Cohortium incursu, doliq́ue
Rem duce Sextilio gerentium,
Vado reperto proditus, in vagam &
Versus Latina fraude foret fugam.
Qua clade perculsi universa
Nobilitas, Trevirumq́ue plebes
Armis omiſsis per patrios agros
Palata longo tempore: Principum
Quibusdam in urbes, jura nondum
Quæ Latij exuerant, regreſsis.
Hæc Tullio absente acta, sed alite
Inauspicata: qui simul adfuit
Furens, suos excire ad arma,
Arma viri, rapite arma cives.

Tullius Valentinus.

G Victis

Victis honestum & pro patria mori ;
Victoribus verò, (ut faveant Dij)
Parata libertas, decusq;
Ingenui pretium laboris.

Herennius Gallus & Numisius Rufus.

His ille, cæsis Ruso, & Herennio
Prius, minor quo spes veniæ foret,
Legato utroq;, in arma rursum,
Quicquid erat Trevirum, retraxit.
At Claudius Tutorem ubi Bingij
Pulsum arce, contra hosti ex animi omnia
Sententia evenisse famâ
Comperit, & Treviros necatos ;
Cum classico omnes omnibus undiq;
Locis suorum cogere copias,
Viresq; dispersas in unum
Municipum, auxiliarumq;.
Simulq; crebros mittere nuncios,
Summæ periclum ne faciat rei
Ducem Valentinum monentes,
Cum valida Trevirum caterva
Rigoduli dum præsidet, hinc loco
Septo Mosellæ flumine, montibus
Inde, atq; fossarum, aggerumq;
Obijcibus, lapidumq; mole.

Julius Briganticus Sextilius Fælix. Petilius Cerealis Romani exercitus Imperator.

Cujus rei non causa Briganticus,
Felixve, quamvis hi quoq; causa erant
Hujus : sed adventus Petili,
Pugnæ avidi nimium Petili.

Res ipsa

Res ipsa testis. nam tibi quid miser
Iuvere Tulli flumina? quid juga,
Rupesve, quid fossæ, Cyclopum
Vel manibus fabricata moles?
Nempè ire pessum per caput, & pedes
Vidisti ab illis immeritos mori
Cives, & è saxi arce saltus
Heu facere horribiles deorsum.
Vidisti ab alto municipes tuos
Modò ruinæ præcipites datos?
Vidisse nec sat: ipse oportet
Ipse etiam moriare Tulli.
Linquenda tellus, & patriæ forum,
Ipso fuit quæ te tibi carior,
Cum luce libertasq́ue, pro qua
Posse mori toties rogasti.
Linquenda caræ conjugis oscula,
Parviq́ue nati, & turba clientium,
Linquendi amici, proximiq́ue.
Parva loquor: rosea ista cervix
Futura paulò post capitis minor
Danda heu securi, tergaq́ue fascibus
Præbenda, & ad palum liganda,
Ah quoties moriture Tulli.
Mittere Romam nempè, sed ut reus,
Mittere, non hoc pollicitus tuis,
Vnaq́ue tecum Belgicana
Nobilitas, Treviraq́ue gentis

Captiva pubes, & puto abest prope
Lux illa, missura exitio, & neci
Constricta tum primum pudendis
Corpora nobilium catenis.
Hoc mortis hoc solatioli tamen
Tecum sub umbras, pro patria auferes
Cæsus, quod unà & ipse isti
Cum patria pereunte pessum.
Illud levamen nec levius tibi,
(Quæ firmitudo pectoris est tui)
Quod non & ipse una cadente
Cum patria cecidisti inuitus.
Nam vivit, & rem nunc etiam optimè
Gerens Batavus Dux aciem struit,
Te vindicaturus, tuosq;
Lingone cum Duce, Classicoq;.
Vides ne ponat Romulus ut suos
Dux ipse fastus, nec solitam suis
Fossam, atq; munimenta castris
Objiciat, trepidiq; valli
Molem propinquam nutibus arduis?
Quæ cuncta, quæ non Cattigenas tamen
Deterruere, Claudiumq;:
Quo minus hæc eadem corona
Invadere ausi, tam subito impetu,
Vt è cubili Ductor, & in thoro
Iacens (nec in castris enim ipsi
Acta ea nox fuerat) suosq;

Vinci,

Vinci, atq; pugnari audierit simul,
Qui nunciabant increpitans metum,
Ipsi ante oclos usq; universa
Dum patuit manifesta clades.
Perrupta castra hinc, cum Legionibus
Cohortibusq;: insessus & extima
Coloniæ annectens, Mosellæ
Pons medius, Celeresq; fusi.
Petilius porrò hos retrahens manu,
Prece hos, at illos exstimulans minis,
Simul duorum implebat unus
Militis officium ducisq;.
Utrunq; contra dux itidem Trevir,
Tutorq; præstans, non sine Claudio,
Stabant tripartiti, locisq;
Quisq; suis feriebat hostem.
Pro laude verò tum Batavos erat
Videre, pro prædaq; Tuistonas
Certare, libertate Gallos,
Hos Treviro Duce, & hos Batavo.
Et cuncta jam pro Cattiginis erant
Firmans Vitelli dum Legio pedem,
Patientiore conglobata
Sustinuit spatio ruentes.
Mutata sors hinc, partaq; Claudio
Victoria erepta è manibus fuit,
Corrupta Germanorum avaris
Ingenijs, onerare præda

Celeres, & Fleximines & Trossuli antiquitus dicti, quos nunc Equites dicim9. Vide Plin. lib. 33. c. 2. Classicus.

Quiq; hoste omisso dum properat manus,
Successus ipsis & sibi obest suus.
Viditq; victores eosdem
Una dies, eademq; victos.
Quid multa? castrorum excidium quoq;
Mox insequutum: famaq; nuncia
Germanæ ab injecto cremata
Igne, dolis Ubijs, cohortis.
Feliciori cuncta sed alite hæc
Resarcijt mox damna Canine fas:
Captâq; depreßâq; parte
Ausoniæ meliore claßis.
Qui nempè & idem sponte sua excitam,
Ut pro Latinis bella capesseret,
E Nervijs turbam coëgit
Cattigenum dare terga prædæ.
Nec Claßicus non tàm benè Claudio
Periculorum cum duce particeps,
Meretur in partem venire
Laudis, & in numerum referri hunc.
Facto secundo prælio ad oppidum
Novesianum, quando Petilij
Iussu ante eo præmissum equestre
Stravit humi Cerealis agmen.
Sed me Batavi & Claudius increpant,
Auremq; vellunt solliciti mihi,
Ad Castra ne pugnata bella
Ne tacitus, Vetera illa Castra

Obliviosa

Obliviosa dissimulem cheli.
Quod acidat ne, caute equidem est opus.
Sed nil perieli est, dum canenti
Mî Tacitus superabit auctor,
Nomenq; Claudi nobile, qui novis
Ad Castra, dixi quæ modò, copijs
Tutus loco consedit, utq;
Admonitu benè gestæ ibidem
Rei, & secundæ sortis imagine,
Mentem, atq; vires adijceret suis.
Testem ergò virtutis locum ipsum
Ritè, loci Geniumq; laudans,
Hic se super vestigia gloriæ,
Hic cum Batavis stare Tuistonas
Ajebat, & fastus Latinos
Cum ducibus, Legionum & ossa
Forti prementes Mummiadum pede,
Quocunq; & hostis lumina tenderet
Dira omnia obversari eidem
Ante oculos. alia inde parte
Manu haud silentem & voce aciem struens,
Vi duplicata nempè cohortium, ac
Alarum, & accessu recenti
Tergeminæ Legionis auctus
Petilij ardor parti aderat suæ.
Neuter morator, neuter item Ducum
Pavens: sed arcebant paludes,
Et spacia ingenio suopte

Camporum, & ipsa sponte madentium,
Obliqua & in Rhenum addita Claudio à
Civile moles, cujus amnis
Oppositu revolutus, arvis
Latè propinquis diluviem daret.
Hæc cæca iniquis forma loci vadis
Contraria, armorum gravato
Ponderibus, pavidoq; nandi
Romano, equestres ut videt obrui
Turmas, & altis ire paludibus
Secum arma pessum. nec pedestri
Ut fieri olim acie suêvit,
Huic cominus res cum Batavis erat:
Vagos sed undas inter, & integros
Læsis, rudes nandi peritis
Cernere erat fluitare mistos:
Totóve, si quid fors stabile inscijs
Loci obtulit se, corpore nitier
Ego usq;. persultante notis
Hoste vadis, latera atq; terga
Dum fronte omissa militis Ausonî
Venire circum gestit, & integros
Læsis, rudes nandi peritis
Mutuum in exitium implicare.
Hinc ergo ferro, hinc cernere aquis erat
Remi nepotes magnanimos premi.
Tuistonas contrà & Batavos
Fluminibus, levitas, suctos

Tollebat

Tollebat armorum, ipseq; corporum
Procerus auctus his erat usui,
Gnaros sub undis adde colles,
Quodq; loci vada nota habebant.
Quid dum, Loïse ô, pandimus hæc tibi,
Ecquid videris, non homines, uti
Dictum est, sed utres rursum Iberos
Cernere Coprophoros natantes?
Illos natantes Coprophoros, quibus
Accepta fert tot funera Belgium.
Certè ipse rursum, certè eosdem
Mi videor, volupe & videre est
De Lugoduni cernere mœnibus,
Non fastu, ut olim, sed tumidos aquis:
Fugamq; perdentes marino
Implicitam Böisote nexu.
Revorti at illuc, unde abij modò,
Ipsa instituti me ratio monet,
Hinc nempè ad hostem penè victum,
Parte alia Batavos ovantes,
Redintegratum postridie tamen
Utrinq; majore impete prælium,
Saxisq;, glandibusq;, & omni
Missilium genere expedito.
Hostem lacessunt dum Batavi suum,
Telisq; & hastis cominus eminus,
Latoq; ferro rem gerentes
Ilia confodiunt natantum.

Nec

Nec illa parvo mox fuit usui
Rheno addita anni quam memoravimus
Molem ante, Bructerorum ut ausus
Hanc cuneus superare nando.
Turbata ibi res, belli acies quoq;
Cohortium visa auxiliarium,
Ruente in ipsas hoste vastis
Corporibus, frameisq; longis.
Sed prosperum ut nil est homini diu,
Præsertim habenti cum grege perfido,
Et perfuga rem: quorum iniqua
Mox quoq; proditione factum est,
Voti ut potentes qui fuerant modo,
Discesserunt victi, & petere alite
Cursu coacti amnem, sibiq;
Consulere & fuga, & arte nandi.
Nec fracta Claudi tot tamen his malis
Batava virtus, quo minus obviam
Hosti iret, è Cauchisq; lectum
Auxiliis repararet agmen.
Quin Drusianam diruit insuper
Molem, inq; vicinam agmine Galliam
Prono, labefactis ruentem,
Obiicibus fluvium refudit.
Sic continentis sic spetiem insulam, &
Germaniam interfecerat alveus
Tenuis, velut porrò amne abacto.
Ecquid huic simile hoc, quod ausi

Fuére

Fuère nostri temporis Ordines
Löïse nuper? par facinus quidem,
Sed exitu magis cupito:
Adde etiam meliore causa
Mosæ revulsos, atq; Salæ aggeres,
Quam Claudij quam fractam ope diximus
Molem. sed ad Civilem, eodem
Unde abij, melius redire est.
Accepta cui post tot mala, tot vices,
Cladesq; tantum vult Tacitus tamen
Belli superfuisse credi,
Præsidia ut modicis Petilî
Vicis quadripartita cohortium,
Alasq; equestres cum Legionibus
Invaserit, Bis Quinta Arenaci-
Altera item Batavo urbe duri,
Vadam, atq; Grinnes castra cohortium,
Ut dixi, & alarum, omni ita copijs
Ex parte divisis, ut ipse,
Ejus item genitus sorore
Verax, suam quisq; & traherent manum
Hinc Tutor, hinc dux Lingo; nec omnia
Fiducia hæc patrandi, at ausis
Multa suis aliqua benignam
In parte Fortunam affore; deniq;
Cautum parum posse actibus his ducem
Intercipi spe, nuncijsq;
Pluribus huc volitantem & illuc.

At quœ

At queis Arenacum obtigerat, bis &
Quinta futurum cum Legione erat
Negotium, oppugnationem
Difficilem hanc nimium, simulq;
Periculosæ plenum opus aleæ
Rati, in vagantes longius impetum
Fecére, lignatum, foraq;
Cædere materias profectos:
Quinq; interemptis Centurionibus,
Castrisq; Præfecto. ecquid enim attinet
Manipulares dicere? atq;
Intereà Batavo ire durum
Germanus obsessum, & validá manu
Pontem inchoatum irrumpere nititur:
Certamen anceps dum tenebræ,
Noxq; superveniens diremit
Obscura. plus discriminis ad Vadam
Grinnesq;: Grinnes Classicus, at Vadam
Civilis expugnare adorti:
Nec poterant sine clade sisti.
Hæc nempè mortis causa Brigantico,
Præfectus alæ dum Latio meret,
Et optimo cuiq; interemto
E socijs. sed ubi Petili
Caterva cum delecta equitum manu
Subvenit, exin versa Batavìæ
Fortuna, Germaniq; in amnem
Præcipites violenter acti.

Julius Briganticus Batavus sorore Civilis genitus.

Ipse agnitus dux, dum fugientium
Retentat audax terga, relicto equo
Telis petitus transnatavit
Sospes: idem effugium Batavis.
Nunc ô puellæ, nunc Aganippides,
Petilianas pangite nuptias,
Et Claudiam cum Claudio unà Claudia.
A Duce Romuleo subactam Sacrata, mulier Ubia.
Bonnam profectus namq; Novesia
Castra ut videret, quæ Legionibus
Ibidem in hybernis futuris
Artifices operæ erigebant:
Domum secundo flumine navibus
Sparso Imperator cœperat agmine
Pedem referre, incuriosis
Excubijs, vigilumq; turba
Data in soporem sensit id hostium
Insomnis ardor: nec mora, re dolo
Tractare consultum putantes,
Insidias posuêre, herili
Iussu, Sacratæ & parcere somnulo
Custodibus: nox atraq; nubibus
Electa, prono & amne rapti
Nullo ineunt prohibente vallum.
Furtim resectis pugna tamen prior
Tentoriorum funibus, arteq;
Adjuta: dum pessum suimet
It corijs coopertus hostis.

Turbare

Turbare classem pars alia Italam,
Et vincla tractis indere puppibus:
Vtque ad premendum hostem fideli
Arte silentî, ita cæde capta,
Repentè, quò plus incuterent metus,
Clamoribus rauci omnia dissonis
Miscere. dum ferro exciti, atque
Vulneribus vigilare jussi
Pars arma quærunt, pars vaga per vias,
Tortisque circum brachia vestibus,
Nec militari, ut altè, culti
More ruunt, gladijsque strictis.
At semisomnis, & propè corpore
Intectus omni dux bonus, hostium
Errore servatus, sibimet
Effugio peperit salutem.
Insignem aplustri qui Tyrio ratem
Prætoriam, illic, par ut erat, rati
Esse Imperatorem, Latinis
Raptum ierant spolijs onustam.
At ille noctis hoc alibi egerat
Præsagus auspex, non sine compare,
Vias breves quæ ipsi, & jocondos
Militiæ faceret labores,
Mollesque somnos: Nympha Vbia hæc erat;
Ob quam datum intermittere symbolum
Claudia *Iussi, suum veternum, herili*
Sacrata. *Flagitio Vigiles tegebant.*

Quid

Quid multa? captis navibus hosticis
Multa revecti luce Tuistones,
Prætoriam Ducis triremem
Fatidicæ Dominæ superbum
Traxere donum flumine Luppia.
At lætiorem jam vice redditum
Grata Ducem, navalem in armis
Instituendi aciem prehendit
Cupido. Complet ergo quod uspiam est
Biremium, quæque ordine simplici
Consuetæ agi, & vis lintrium ingens
Addita, ne referam citato
Cursu Liburnos. hinc spacium æquoris
Captum instar, amnis Mosæ ubi plenius
Reciprocantem affundit æstum
Oceano, socia unda Rheni.
Causa instruendæ Classis, ovatio:
Et commeatus Gallia ut advehi
Suetos prius, terrore eo inter-
Et cipere, & prohibere posset.
Contra hæc (penes sit Historicum fides)
Dux copiarum Romulidum, haud metu,
Rei sed admiratione,
Remivagam instituisse classem.
Fertur, parem illam non numero quidem
Sed remigum usu, mole sed ardua,
Docta gubernatorum & arte,
Multo etiam Batava priorem.

Velleda virgo fatidica apud Bructeros.

Hujus

Hujus secundo flumine, at illius
Vento acta classis, præter utrinque sed
Victi ambo, tentato ante jactu
Missilium, dirimuntur hostes.
Transisse Rhenum mox Tacitus refert
Civilem, at hostile ulterius nihil
Ausum: Insulam dum vastat omnem,
Et Batavos Cerealis agros,
Villasque: tantum prædia Claudii
Intacta fallaci arte Ducum sinens:
Agitque ab omni parte prædas.
Cum pluvio super imbre fusa
Vis Rheni, & Autumni, ut fieri solet
Flexu, paludosam, atque humilem insulam
Uligo visa opplere, stagni
In faciem, neque commeatus,
Aut classis hosti jussa aderat sequi:
Locoque plano castra sita, æstuum
Vi differebantur propinqui
Fluminis, & pluvialis undæ.
Tunc opprimi hostem, tunc potuisse opes
Frangi Latinas Marte Tuistonum,
Lucri sed à se amore flexos,
Claudius, & Batavi imputarunt.
Magna hæc fatemur, dignaque aheneis
Scribi tabellis, sed nihil ad tua
Loïse. nempè victus ille
Nempè tamen: quid enim? & coactus

Æquis

Æquis iniquis conditionibus
Sancire pacis fœdera Romuli
Cum gente, civium heu suorum
Perfidia, auxiliariumque
Germaniarum fraude, nec hostium
Virtute, pœnis sed ducis artibus
Dolisque. Christi at ipse contra
Auspicio, aligerumque ductu
Cæsis redisti victor ab hostibus.
Hinc excipe, udi quos stadij æquore
Exercuit cursura: Olympi
Præ quibus haud Nemeæve ludos
Spectare malles, excipe item novus
Absorpta Iberum corpora fluctibus
Voracis undæ. Classe nostra
Incolumi, sociisque salvis.
Ergo secundo flamine agens ratem,
Gratis replesti victibus oppidum,
Mutare equinam, bubulumque
Pane jubens corium, & caninam,
Cattasque, suavem Cattigenis cibum,
Zythoque lymphas, quod Pharium vocant,
Vel flore jucundo Lyæi.
O niveum, atque diem beatum,
Qui primus alma risit adorea,
Qua commeatus, & satias redit,
Fame, siti, atque peste siccis
Esuriem, obsidiumque pellens.

 Dixitque

Dixitq; tandem, respicit ut suos
Tellure in ipsa naufragium pati,
Trux ille, fortunaq; nuper
Ebrius Hesperia Imperator
Baldæus, ille heu nomine Regio
Impunitatis, & veniæ modo
Fallacis ostentator, urbi
Exitium toties minatus.
Invitus, urbs heu, mœnibus à tuis,
Portuq; cedo (sic placitum salo)
Invitus. adjuro crucem istam,
Quam fero, ut Induperante dignum est.
Nec pejero. nam quid mihi nunc boni
Sit inde? sed quis gurgitibus parem
Sese esse tantis, æstuiq;
Postulet? ô maria Amphitritæ,
O terra, o æther, ô Ducis irritas
Spes, ô Triumphi vana petitio.
O mænia usurpata quondam
Luminibus: pedibusq; nostris.
At nunc supremam dicere me jubet
Non hostium vis, non Böisotici
Metus furoris, non cavi æris
Fulmina, Mattiacumq; nomen:
Castris minans sed diluviem meis
Fatalis unde sæva necessitas,
Auctusq; Cæciæ, Africiq;
Vi, rapidæ alluvionis æstus.

Are

Ave ergo Lugdunum ac pariter vale.
Præcepta inani spe toties mihi.
Valete nostri valla quondam
Nominis admonitura Cives.
Hoc ille, longis non sine literis,
Cubilis, usus quo fuerat, foco,
Et parieti inscriptum reliquit
Gloriolæ monumentum Iberæ.
Diversa at istis pectore in intimo
Secum volutans, ore premens sonum,
Lingua sub ipsa immurmurasse,
Hæcq; tacens agitare visus.
Heu frustra Ibero dente lacessere
Canes Molossos nitimur hinnuli:
Frustra Herculi extorquere clavam,
Corrigere & digitum Miloni
Malum tenenti. viribus impares
Ire obviam non desinimus tamen,
Sectari & ultrò, quos vel amplius
Posse modò effugere est Triumphus.
Gens Civicis quæ seditionibus
Relicta Cattorum avia Gallicæ
Confinibus mutavit oræ:
Quà tumulis maris unda arena
Pugnans, Batavis efficit Insulam
A fronte, tergum hinc, ac latera alluit
Vahalis, inde Mosa, tuq;
Rhene pater, fluviorum ocelle:

Vt quæ Britannis tunditur æstubus,
Crepido saxi cedere nescia,
Per vulnera, & cædes ab ipsis
Ducit opes animosa damnis.
Non tera lapsum vi recreans sua,
Valentiorem vidit in Herculem
Consurgere Antæum: nec æquè
Corpore atrox fuit Hydra secto.
Presses, resurget firmior, & pilæ
Modò resultans ibit, & impete
Miro aucta florescet, doloso
Suppositæ ut cineri favillæ.
Cursoribus jam non ego literas,
Cum laureatis fasciculis dabo
Ferre ad Cuningam, nec Triumphi
Sollicitus meritos honores
Poscam Imperator. Occidit, occidit
Fortuna Iberi nominis, occidit
Spes cuncta Lugduni soluto
Obsidio, Ducibus nostris
Captis, necatis, diluvie obrutis.
Pudet fateri. quid moror amplius?
Nil vis Batava, nil manus non
Efficient Böisotianæ:
Quas & secundo numine agens DEUS
Virtute verâ firmat, & auspice
Dat Aurasino ubiq; victis
Hostibus incolumes referri.

ODA V.

Ad
JOANNEM HAVTENUM
Reipublicæ Lugdunensi
à Secretis.

HAVTENE, ni te plus oculis ament,
Ni te in sinu, ipsis inque oculis ferant,
Musæque, Gratiæque, & ipsum
Quantum adeò Venerum, atque amorum est:
O invenustas tunc Venere nimis,
Musasque tristes, atque inamabiles:
O nomine indignos Amores:
O Charites sine gratia omni.
Sed Gratiarum grata cohors nimis,
Musæque semper Musicè habent suos:
Nativa nec sic prorsum Amores
Liquit amabilitas, nec ipsa
Expers venustate est adeò Venus,
Vt non suis te plus oculis ament,
Non in sinu sibi dicatum,
Inque ferant oculis alumnum.
Quid ergò mirum, tot si ope numinum,
Et tot Dearum præsidijs ferox
Maranicæ expeditionis
Ludibrium, obsidiumque nuper

Spreviſti inultus? ægide quem ſua,
Placere ſe vult dum Veneri ſuæ,
Texiſſe, ſervatum eſſe & ipſum
Credibile eſt voluiſſe Martem.
Qui te per hoſtes mille graviſſimos
Domiq;, & intra mœnia maximè,
Dextra ſiniſtra rem exhibentes,
Intrepido dedit ire greſſu.
Thorace ſeptum plus quàm adamantino,
Conſtantia dico, atq; fide, & gravi,
Quam ſemper ante oclos habebas,
In patriam pietate Civũ.
Camœnæ amœnæ, veſtrâ ope nunc opus
Veſtro Poëtæ: nec pote ſum Deæ
Tacere, qua me Hautenus in re
Iuverit, officijsq́; quantis
Obnoxium me reddiderit ſibi:
Nec me modò, ſed Rem quoq; Publicam
Omnem, mihi quæ luce ſemper
Carior, hisq́; oculis futura eſt.
Vobis ſed iſtud dicam equidem palàm,
Vos porrò multis dicite millibus:
Anusq; curate hæc loquatur
Pagina, ne fugiens citò ætas
Oblivioſis invida ſeculis,
Nocte illius cœca hoc ſtudium tegat:
Neu nomine in deſerto Arachne
Texat opus, tenuemq́; telam.

Nam

Nam quos labores pertulimus simul,
Ab hoste pressi dum fuimus fame,
Ferroq; testis ipse testis
Esse potes, neq; enim Poëtam,
Heutene, *decretum hic agere est mihi.*
Procul Poëtæ sint, procul hinc volo
Commenta vatum, vera quippe
Historica fide agenda res est.
Ergò labores quos tulimus simul,
Hostilis urbem dum tenuit metus
Vallo, fame, obsessamq; ferro,
Nil opus est memorem monere.
Notum tibi nam, quo studio fori
Hinc Alpha, & illinc Beta sategerint
Mutabile ad defectionem
Farris inops stimulare vulgus.
Dum quod vel anno sat foret hordeum
Zythepsa perdit: quæq; fami benè
Esset levandæ, excocta flammis
Esui inepta, nec apta potû,
Mutata aceto, redditur, & nova
Sapore abusam cervisiam dolet.
Omitto Dardanariorum
Perfidiam, nec opus referre hic:
Vendentium clam, quæ dare publicos
Frumenta in usus debuerant palam:
Condenda avarè, promere illa
Ni subigat pretiosius emptor.

Quæ de beatis dicta velim modò
Iisq;, queis res illa erat manu:
Qui dico pulvinis sedere
In prasinis, Solio & Curuli
Sueti. ad Sodales namq; quod attinet
Collegiorum, & Civica nomina,
Tum qui Sagittari vocantur:
Quid melius pote, fortiusve
Fuisse? qui Rem tàm benè Publicam,
Contra omnium spem, votaq; Circij,
Et Clusij, ut scis, in foro qui
Usq; suo Borean agebant:
Defendere ausi: non sine maximis
Molestiis, freti auxilio DEI
Solius: expensamq; vitam
Haud sibi, sed patriæ referre.
Testis Iacobus Duziades mihi
Heutene, *tuq;, & si quis amicior*
Sibiipse, mutasse Aurasino
Imperio juga gaudet Albæ:
Nondum expiatis oblita cædibus,
Verum expiandis, si faveat DEUS,
Brevi, ipse uti spero rogoq;
Iure meo, meritoq; Iberum.
Atqui doloris hoc cumulum insuper
Mali addidit mi, quod Populo magis
Curæ esse rem suam viderem,
Quam Dominis, procerumq; cœtû.

Nam

Nam summa rerum credita queis erat,
Censere mecum si capite hic velis,
Hoc me puto præstare posse,
Vix numero totidem repertos,
Quot culta Nili divitis ostia,
Urbi usui ex his qui fuerint bono:
Nullumq; vulnus Lugoduno,
Heu, gravius reor accidisse,
Istos probos quàm Lanitij ordines,
Quaterq; Denos quos perhibent Viros;
Ex oppidi prisco instituto
Quos penes in Populum potestas.
Urbisne Lædæ civem, (aliquémne ita
Civem esse fungum, qui Batavus siet?)
Quid dico Civem? imò Tribunum
Civibus impositum regendis,
Optare liberum servitium sibi:
Et supplicem velle his fieri, quibus
(Pròh tempora, inversiq; mores)
Debuerat timor ipsius esse?
Quemquamne sic factum immemorem sui,
Iurandum uti jus æstimet irritum,
Ius publicum causa asserendi
Quod dederat prius Aurasino?
Fame paratos cum videat mori
Cives, & urbem Marte tuerier;
Parte altera adventare classem
Subsidio Böisotianam.

Præsto futuram, si faciles DEUS
Ministret æstus, Cæcia, & Africo
Iuvante decursus aquarum.
Adde etiam incolumi Aurasino.
Hoc viderat mens provida vindicis
Bronchorstij acris, quippe suo malo,
Longoq; docti usu, malignas
Horum hominum dominationes,
Nullaq; munitum imperium fide.
Eoq; qui illi fervor erat viro,
Omnem potestatem abrogare his,
Re super hac etiam ad Camillum
Datis tabellis, certus erat semel.
Quod perpetratum reddere dum parat,
In ordinem ipsummet redactum
Vidimus, & fuit ægrè amicis.
Hoc ipse questus hei quoties mihi est,
Quàm sæpè questus ipsum etiam tibi
Heutene, partiri usq; tecum
Consilia, ah, solitusq; curas.
Virtute felix ille quidem suá,
Fidensq;, & idem Publicæ amans Rei,
Quantum potest amare quisquam.
Hanc alius: stomachoq; muri
Ahenei instar cedere nescio,
Id quod de Achille tradit Horatius:
Felixq; Bollanus cerebri:
Famæ avidus, pretioq; durus.

Flecti a

Electi: nisi quod de puero Alphitêi,
Fas vera fari, consuli honestius
Potis fuisset. hoc nec ipse
Inficias, puto, amicus ibis.
Sed functus ævo cessit, & hanc meo
Douzæ *propinquo lampada tradidit:*
Heu, morte venalem arte visus
Herculea petiisse laurum.
Nobis relinquens obsidium, & famem,
Et monstra, factoq; velut agmine
Mox lucis erupere in auras,
Herculeo superanda nisu.
Quid multa? iniquæ plenum opus aleæ
Adire visi. nec cinere abditos,
Ut ante, sed clarè emicantes
Ire Tribunitios per ignes:
Fluctu opprimendos non nisi maximo,
Qualis sequutus mox Bõisoticus.
Ut quos, patrum accito frequenti
Concilio, bonus ille Circi
Collega, dictus Dimidium tui
O Lada, Iano progenitus patre,
Et ipse Ianus: non bivertex
Ille quidem, geminaq; fronte,
Sed par, modò huic non & geminus DEO,
Ad duplicis linguæ arma quod attinet:
Septentrionali tepentes
Usq; recalfaciebat aura.

Quid,

Quid, non suis mox viribus obrutus
Resedit ardor, auctaq́ʒ Circij
Pridem fames clamore, captæ
Lenior & levior videri?
Quàm longius se velle negaverant
Perferre Sponsi Penelopes modò,
Prætorio ipsi derepente
Obsidium facere, & Tribunos,
Meumq́ʒ Douzam, teq́ʒ Notarium,
Rubiginoso non sine acynace,
Strictisq́ʒ circumsistere ausi
Dentibus, & Tragico Senatum
Terrere vultu: quin etiam insuper
His comminari, ni sibi gratia
De sportula, itq́ʒ commeatu
Paniceo fieret, fugandæ
Qui sat fami esset, sese igitur palàm
Valentiori postridie manu,
Et conglobatos adfuturos
Cum socijs pariter trecentis.
Magna illa totum quasserat oppidum
Metu, suarum partium, & hostium
Confisa defensore Iano,
Colluvies tunicata vulgi.
Curæ DEO *sed nostra salus fuit,*
Qui postero, quàm contigit hoc, die
A Principe optatam salutem,
Misit, & auxilij benignam

Spem.

Spem luxit urbi. quid tabulas loquar,
Reducta queîs mens civibus anxiis,
Reducta virtus, & remissa
Corporibus rediere vires?
Salvere gratis vos jubeo modis
Gratas tabellas, vosq; quibus DEUS
Tam nunciî optati tabellas
Ferre dedit, medios per hostes.
In ore ego vos sæpè feram meo:
Canamq; de tot, qui reduces fore
Iuraverant, solos redisse:
Ferre famem potius paratos,
Præstare quàm non pollicitu fidem,
Aut facta dictis addere; cæteri ut
Fecere, quos unda aucta, & hostis,
Heu patria prohibebat urbe
O me beatum, cum subit illius
Imago noctis, quâ mihi, & optimo,
Bronchorstii in locum, Iacobo
Douzadi moderamen urbis,
Et summa rerum tradita Principis
Iussu, & piorum non sine gaudio,
Ne quid mali intestino ab hoste
Publica Res caperet, timentûm.
Illas dedistis vos mihi de manu in
Manum tabellas, nunc etiam mihi
Dulces tabellas, quæ supremam
Rebus opem dubiis tulére,

Ergo

Ergò ore ego vos ſæpè feram meo,
Pareſq; vobis quas dedimus Ducem ad
Claßis Löiſum ferre, curſu,
Obſequio, ac taciturnitate
Dicam columbas, addam etiam fide.
Verum & tibi laus debita non minor
Hautene, tàm ſæpè obviam auſo
Ire Tribunitijs procellis.
Tu, cum virili Marte nocentior
Chloë, Sacrorum credo cupidine, Miſſelycke luſt.
Ad arma conſcriptas ad arma
Haud verita exſtimulare Patres,
Rerum novarum quos cupidiſſimos
Norat, nec auſos prodere ſe tamen,
Dum tot malos bonis frequentes
Curia habet ſine lege miſtos,
Noſtras in arctum cogere copias
Nonariarum tenderet agmine,
Vulgiq; mendicabulorum
De trivio comitante fæce:
Primus reſciſti conſilia hoſtium,
Tempus, diem, horam, teſſeram, item locum,
Modumq; conjurationis,
Et capita, auxiliarioſq;.
Sed Fulvia uſus indice, quæ tibi,
Ceu Tullio olim, conſcia partium,
Decreta, conventuſq; notos
Fæmineo patefecit aſtu.

Primus

Primus locando præsidio in vijs
Et insidendis pontibus, & foro,
Mique, ac meo agnato cavendi
Auctor ab insidijs fuisti.
Nec te fefellit, quid pareret domi,
Forique in ipsis visceribus latens
Colubra. nota dicta habebas,
Nota etiam horum inimica cœpta.
At nulla visa his res gravior tamen,
Quam Publicæ quod Scriba Rei fores:
Præsente nec quicquam Togatus
Te sine consulere ordo posset.
Confisus hac tu Palladis ægide,
Calcasti anilem sub pedibus metum,
Janique conatus, gravesque
Circi inimicitias, & iras.
O si canendis nunc locus his foret,
Ut mi ille suavis accideret labor:
Nec tempore ullo te Camenæ
Deficerent memorare nostræ.
Sed me Jacobus Douza *meus vocat*
Collega, primo ponere loco
Decebat. ó te ita ille servet
Incolumem viridi senecta
Cognate Lugduno, & Batavis DEUS,
Fido ut fidelem te meminit mihi,
Firmumque, communique amicum
Et Patriæ, & Domino fuisse.

Præsentia

Præsentiæ vis quid valeat tuæ,
Sensere patres, cum Mathenesij
Diploma, Baldæiq; scriptum.
Concilij procerum acciendi
Occasionem præbuit, haud tibi
Dico, viris ijs sed Decies Quater
Jacobe, nunquam æque beatis,
Nunquam alias mage ovare visis,
Quàm temqore illo, cum numero quidem
Longè priores, verum animo impares,
Nos forte sperârant frequenti
Vincere. sed minuit tumorem
Sententiæ vox illa prior tuæ,
Dissentientis conditionibus
Fallace promisso, nec ullo
Hesperio nisi præde fultis.
Ni forte dicat quis Mathenesium,
In abdicanda tàm malè compare
Pridem Tridentinis abusum
Consilijs. erit ille fidus,
Datam fefellit qui dominæ fidem?
Namq; hic omitto de Domino queri.
Illud videmini monendi
Mi modò, cauto opus esse vobis,
Ne qui Tridentum tàm didicit benè,
Constantienses nunc Canonas quoq;
Sit doctus, & servare pacta
Hæreticis scelus esse ducat.

Ne multa credi non benè perfugæ
Tot qui Sacramenta irrita fecerit:
Nobisq; censebas cavendum
Esse reconciliato ab hoste.
Hæc summa, certum se potius mori,
Vitamq; finire ingenua fame,
Quàm Patriæ pactum parenti
Nassovio violare fœdus.
Queis succinentes nos quoq; legibus,
Prò tempore illo pauca, sed asperè
Satis rei pro indignitate
Diximus. hinc reliqui sequuti.
Pijsq; iniquo cernere erat gradu
Sedere mistos Papicolas, Petro,
Primarius quod Consul esset,
Vermerio præeunte verba.
Petro Hadriani prole, viro quidem
Forti, & fideli: sed domitos parum
Habente Collegas, eoq;
Sæpè gradum cohibere jusso.
Dicere nostro tu quoq; carmine
Cognominis mi Iane, sate inclita
De stirpe Duvenvordiorum:
Dux pariter bonus, atq; miles.
Ex vos eadem progeniti domo,
Fratres gemelli, non sine gloria
Ictusq; destinare certos,
Remq; malam dare glande docti.

Brochovij nec vos tacitos sinam
Pratorio ambos munere nobiles
Par civium, & fratrum fidele:
Teq; gravem spolijs Iberum
Verlane, gesta re toties benè.
Clarumq; equestri stirpe Raporstium:
Huicq; additum in partem laborum
Excubijs vigilum locandis,
Signoq; dando strenuum, & impigrum.
Montfortium: & te compare cum tuo,
Andræa, Dordracum merenti
Cui posuit spetiosa nomen.
At ô quibus vos laudibus efferam,
Sagoq;, & armis præpositi Duces,
Francisce Murendala, teq;
Theuderico genitore natum
Arnolde: & horum cedere nemini,
Bonoq; semper visum animo Scotum:
Quartumq; te Piscari, & ipsum
Theuderico genitum parente?
Quo Primipilos carmine, qua Lyra
Dicam Optiones, quive Vicarij
Fuére, vexillariive,
Pro patria haud timidos obire?
Manipulares cumné Triarijs,
Decuriones an potiùs loquar?
An hos, & illos buccina una
Nostra canit pariter Thalia?

Utrosq; opinor. imò bonos simul
Omnes ad unum: funere seu manu
Facto solutos, & sub altis
Mœnibus ante oculos parentum.
Ab hoste stratos: sive etiam quibus
Perire sicca morte dedit DEUS
Famesvé, fulminisvé ritu
Pestilitas mala misit Orco.
In queîs honorem non minimum, ut puto,
Virtute verâ commeritus, patre
Prætore arenosis Iacobo
Sub tumulis Iacobus ortus,
Catvici ad actam littoris. ô caput
Solers, in hostem seu facere impetum
Repente, certos sive plumbo,
Seu dare ferro opus esset ictus.
Qui nunc sacer Dijs Manibus additus
Tibi interempto pro patria, & quidem
Pugnando, Barthlomæe gaudet
Elisiis comes ire campis.
Lugete cives, lugeat urbs Ducem:
Vicarium Dux luge etiam tuum
Vischere, non unquam nec arctis
Temporibus tibi defuisse
Visum. laborum nam patiens erat
Insomniæq;, & pulveris, & famis:
Sæpè & minari auditus hosti:
Brachia se duo, singulosvé

Habere cives, altero uti famem
Sistant comeso: qui super altero est,
Ut fæminis, natisq; & à se
Carnifices gladios repellant.
Dij multa at isti dent mala Circio
Barbam leoni vellere mortuo,
Larvisq; qui pugnare fortis,
Hunc etiam capere ausus hostem est:
Sed morte functum, cum neq; jam loqui
Mutus, tenebris obsitus, & styge,
Pro se ipse, nec famam tueri
Incolumem gladio valeret.
Illum & Thrasonem dicere non timens
Audace lingua, pectore non item:
Sibi amputaturum nec ultrà
Brachia, nec nociturum Iberis.
De Publica & re vos meriti benè,
Vereq; digni nomine Civium,
Nostra nec indigni arte, quorum
Hic etiam tituli legantur
Præ cæteris, Corneli Euerardice,
Cornelio & tu progenitus patre
Francisce, cuiq; à flore nomen
Ipsa suo posuit Dione.
Vos Tresviros sed dicere quid vetat?
Impunè cæcas ire per orbitas,
De Rot. *Perq; hostium tot septa, Rotam*
Ulterius penetrare nando.

Ausos:

Ausos: peracto & munere Publicæ
Legationis mox posita mora
Diem repræsentare pactum,
Et reditu exhilarare cives.
Nec te bone, etsi concilij patres
Lanarij, assessum abnuerint tuum, Octroy[illegible]
Messaga, permisso quod utens
Iure Danistam ageres, silebo.
Obliti in altro se reprehendere,
Qui questus ipsi maximus est palam
Domi, idq; nulla auctoritate
Aut tabulis, titulove fultis.
Et vos vocati rebus in asperis
Præsto adfuistis qui toties mihi
Par concionantum integellum,
Mente quati solida nec unquam
Visi Fideles: vosq; Petri dua
Octoviratus lumina, & Omie
Et Quassenari: tuq; Bancki,
Sæpè mihi memorande Bancki.
Et vos Iodoci progenies patris
Par Luca fratram, tuq; adeò eminus
Gualtere per dûelles ferire
Docte tubo jaculante plumbum.
An verò, an Hugo te tacitum sinam
Cui Alcuma stirs? huc ades ô benè,
Mandes ut obsessori Ibero,
Has veniæ Mathenesianæ

Perduelles hostes antiquitꝰ dicti. Vide Cic. l. 1. de off.

 Dites

Dites tabellas, totq; Diplomata
Maranicæ tàm prodiga gratiæ,
In thura vendentem, atq; odores
Galbaneos genus omne vicum,
Ritè instituto Pharmacopolio,
Vribuy-ters. *Mittat. sed & vos huc quoq; Publici*
O præmiatores adeste,
Nomine conveniente rebus:
Dici Volones seu potius juvat.
Haerlemer meer. *Terror Iberum, ac Harlemij lacus,*
Insigne Rostrata unde ferro
Hic etiam meriti coronæ,
Mersis profundo navibus hosticis,
Vectorijs verò, & Duce partium
Capto, & reservato ad Triumphum,
Non sine ferrivomi æris auctu
Revecti, & amplis cum spolijs domum,
Et vos ô horum tergemini Duces,
Iane, ac Herisce, tuq; Dignus
Obsidio superesse Binci.
Et Bincianum protinus in locum
Pusilla nomen brassica cui dedit,
Suffecte Corneli, usq; Iberis
Exuvijs humeros onustus.
Sed nec mihi hic Alberte Iacobeec,
Punire Cacos, alter ut Hercules,
Defendere & Mauros juvencis,
Nec timidus prohibere Iures.

O qualis,


O qualis, & quali, ô, facies typo
Digna, & tabella, cum bovis unius
Raptu videres, tresq; abactos
Ob vitulos vitulantem Iberum?
At non inultum, quando Batavico
Mauros capillos pulvere collinens,
Charonio missus cruentum
Ore solum rapidus momordit.
Dicam & cohortis Centuriam meæ,
Quam pænè cum jam cuncta forent metu
Repentè consternata, primis
Scilicet obsidij diebus,
Albiniana ad castra Britanniæ — Alphen.
Cæsis alumnis: parte alia, & quidem
Vidente civitate tota,
Non benè deficiente ad hostem,
De Falcoburgi præsidijs loquor. — Valcken-burg.
Adde interempto militiæ Duce
Fortißimo Andrea, & jacente
Corpore tunc etiam insepulto.
Famelicum esis obsidium pati,
Cunctisq; pro se cuncta paventibus:
Omnis mali dum causa, secum
Papicolæ taciti renident:
Dapesq; festas ac epulas parant,
Queis quisq; amicos exciperent suos,
Fratrem, aut patrem hic, virum ista, Maurũ — Maranos.
Coprophorum hæc, monachum illa amantem.

Cohortis inquam, Centuriam meæ:
Quam ego, videri ne capitis minor
Poßit, Duce, ut dixi, perempto:
In varias vel abire partes:
Malis dolorem, lætitiam bonis,
Plenam universis deniq; civibus
Stuporis admirationem
Incutiens, animosq; firmans.
Heus imbecillo pectore præditis:
Tuo rogatu nomine Publico
Bruchove, suscepi regendam,
Non pretio, sed amore recti.
Nec pœnitet dum facti, ita singulis
Fortem dedistis hic operam mihi,
Duciq; commanipulones
Murigeri imperio fuistis.
Referre longum nomina: vos tamen
Quis nescit isse hosti aßidue obviam:
Bis valla, & expugnasse crates
Oppositas: totiesq; terga
Vidisse Iberum? non te Hilari tamen,
Hostiusq; forti pectore cognitum:
Vestrasve velitationes
Continuas reticere possum
Leeuken. Hogarde, Velsi, Dicte, Bibacule,
David, Robolli, teq; Leuecule,
Catum hostica explorare castra,
Digne puer meliore fato.

Laurum

Laurumq́ tu qui tam meritus benè,
O usq́ mecum tempus in ultimum
Deducte bellator, memorq́
Militiæ veteris Georgi.
Salvete fortes, quos veneror viri,
Commilitones, & socij optimi:
Invicta propugnacla belli
Hesperij, genus ô Batavum,
Salvete Cives, Martia robora,
Quos muneretur jure Quiritium
Digni Aurasinus: Marte priscis
Nec Lacedemonijs minores.
Non flore nardi, non balano, aut rosis,
Verum decoro pulvere, & hostium,
Et proprio aspersi refuso
Pro patria toties cruore:
Castrensis olim, nunc quoq́ Civicæ
Adepti honorem. vos socij mihi,
Iijdemq́ consortes fuistis
Obsidij, famis, & pericli,
Belli & laborum, quos tulimus simul.
Ergò & meis vos nunc quoq́ fas modis
Florere, victuriq́ mecum
Participes fieri Triumphi.

Corona Castrensis & Civica.



ODE

ODE VI.

De ADVENTU ILLUSTRISSIMI AURAICI PRINCIPIS IN BATAVIAM Gratulatio.

ET infrequens, & parcus Apollinis
Cultor, prophani dum populi improbe
Consultus erro, nunc relictos
Cogor amans iterare cursus.
Adeste doctum Mnemosines genus,
Specusq; rupis pandite Thespiæ,
Quos leniter crepante lympha
Vnda super rigat Hippocrene.
Vester puellæ, vester Hyantides
Sublime montes tollor in Aönas.
Vester sacrum nemus reviso
Vestrâ ope, præsidioq; fultum
Non me Britanni sævitia æquoris,
Non me Britanno sævior æquore
Albana terrebit procella,
Non populi variantis æstus.
Sed quis nocentes tot cupido obijcit
Moras? tenaci quis retrahit manu,
Tardatq; euntem? parce Clio,
Parce tuo Cytheræa vati.

Fas

Fas Aurasinum sit mihi Principem,
Fas Aurasini Principis, ô Deæ,
Fratrem optimum, fortissimumq;
Æolio celebrare plectro.
Ille, ut superbi carnificis jugo
Nos liberarit, quem nimis heu diu
Impune gaudentem cruentis
Pertulimus Batavi, atq; Belgæ.
Hinc verò Bergam ut cæperit Hannonim,
Captamq; tutam præsidijs suis,
Adversus insultus Iberos,
Præstiterit sine clade victor.
Magno quidem nos perculerat metu
Vis illa, versuta, & gerere eminus
Rem docta, glandium æ nearum
Fulminibus, volucriq; ferro:
Sed quid choræis, & Veneri aptior
Fredricus: aut quid Galba, tripes malum:
Quid Alba deniq; ipse, contra
Mænia tàm bene Gallicanis
Defensa forti consilio, ac manu,
Possent ruentes? hinc stetit impiger
Utramq; fortunam subire
Pro socijs Ludovicus, inde
Equestre Princeps agmen agens virûm,
Delecta pubis robora Martiæ,
A Rure mundanis subactis
Ibat ovans, uti liberali

Belgas suos causa assereret manu,
Et prisca nobis Iura reduceret,
Pulsa nova Inquisitione.
Nec mora: jam Frisij recepti,
Iam Gradij, & pars magna Brabantiæ
Visa in fidem se dedere Principi.
Iam Bœthicum ejurarat Albæ
Imperium Tenera, atq; Delus:
Freti Aurasino Vindice: qui mari
Terraq; victor, jam trepidantibus
Vero metu Albanis, ad omnem
Iam strepitum pavitante verga:
Ipsum sibi, ipsum sævitiæ caput
Dari experebat: subsidium ferens
Fratri, fatigatiq; Iberum
Indomita obsidione Bergis.
Sed antevertit Punicà Iber fide,
Cum milite urbi Præsidiario
Ferale qui sancire fœdus,
Perfidiæ sator occupavit:
Illius inquam perfidiæ cui
Accepta fert tot funera Gallia:
Tot Imperatorum nefandis
Membra avidè laniata dextris.
Quæ nempè & omnes, optime principum
Tuos paratus, consilia omnia
Evertit, invictumq; retrò
Ferre pedem, & revocare signa

Subegit.

Subegit. Eheu Gallia Gallia
Nuper tuorum, quotquot erant boni,
Patrona: nunc repentè virtutum
Omnium acerba tinis, virûmq;.
At Principi isti non benè sit tuo,
Si fas tyrannum dicere Principem,
Quem tàm sacræ, intestabilisq;
Nomini inurere Christiano,
Contrà omnium spem, votaq; publica
Immanitatis non puduit notam.
Næ ille majorum suorum
Consuluit decori haud decorè.
Sed magna Princeps gratia sit tibi,
Quem post moras tot candida jam suis
Tandem redonavere fata
Cattigenis, Batavoq; cœlo.
Nam quale saxis prosiliens cavis
Fons, aut loquaci murmure rivulus
Lasso viatori levamen
Esse solet, gravis arva quando
Hiulcat æstus: aut veluti in nigro
Quondam prehensis turbine, jam maris
DEI prece implorata, amica
Aura venit, geminusq; Pollux:
Tale & Batavis auxilium tuis
Redux fuisti. nam sine te foret,
De nostra & omnium salute,
Dicere jam poteramus, actum est.

Futuri

Futuri avaræ præda Tyrannidi,
Ibericæ, Mauræq; Tyrannidi,
Quotquot Frisi, aut Caninefates,
Mattiaci sumus, aut Batavi.
Heu quæ Vahali funera, quos virum
Ducumq; acervos, quot galeas miser
Sub decoloratis tuorum
Sanguine vorticibus rotares
O Rhene? quantos in mare volveres
Truncos, marinis quos avibus daret
Vorare, nec luctu, nec ullis
Funeribus satiandus hostis.
Ille, heu, misertus neminis, omnia
Pinxisset una mortis imagine.
Non sexus infirmus, nec ulla
Illi animos minuisset ætas.



ODE

ODA VII.

D. ELISABETHAE BRITANNIARUM REGINÆ Principi Opt. Max.

Regina magnis edita regibus,
Ipsa erudita ô Pieridum manu,
O Gratijs secunda nulli:
Si quid ab imperij ordinandis
Vacare rebus te juvat, ad mea
Demite vultus carmina, & aurei
Flexus ocelli, regioq́;
Cuncta supercilio moventis.
Nec docta, nec te digna, vel auribus
Istinc puris quæ damus: (hoc enim
Quis posit?) at testantia omne
In te animi studium, fidemq́;.
Optare quid plus à sibi subdito
Rex ausit? O non digna tuæ modò
Britanniæ imperare, toti
Verumetiam dare jura mundo.
Qui nunc suismet viribus (ô mero
Durata ferro secula) concidens,
Immanè quàm pudenda nostræ
Stultitiæ documenta præbet.
Tantum Britannos excipio tuos,
CHRISTUM fateri quos posito doces
Metu, tuo exemplo beatos,
Non sine Diis animosa Princeps.

Ausa &

Ausa & Papalis concilij minas,
Fulmenq; sacrum spernere, & impia
Decreta: vicinis quod olim
Regibus incutiat pudorem.
Non Belgium sic nostrum, ubi non modo
Fas Christiano: sed ne homini quidem
(Audis malum Inquisitionis)
Ingenuo licet esse cuiquam,
Impunè. quid non bellua septiceps,
Quid Maura, quid non Pœna potest fides?
His nempè derivata clades
Fontibus, in tua regna primùm
Fluxit Valesi. quæ modò Gallicis
Tantam cruoris diluviem urbibus
Immisit: hinc porrò inde Belgas
Excidio, nisi providemus,
Mersura eodem. fallor? an est mihi
Res ipsa testis. Dij melius tamen:
Nobisq; quas paravit hostis,
Insidijs eat ipse pessum.
Quid frustra inani me quatitis metu?
Abite. sat jam sat tulimus diu
Sannas, egestatem, repulsas,
Totq; fugæ mala, totq; lethi.
Nam quis locus non sanguine decolor
Nostro, rapinas, stupra, homicidia
Testatur, ut semelq; dicam,
Hesperiam dominationem?

Crux

Crux illa tanti sed fuit, hac via
Nos expetebat si superum pater
Convertere, in lucemq; tantis
E tenebris revocare lapsos.
At hisce tandem, te DEUS *auspice,*
Stupris, rapinis, atq; homicidijs
Sit finis, ut semelq; dicam,
Hesperiæ dominationi.
Remitte pœnas: quarum adeò bonum
Heu tantum abest, ut pœniteat Ducem,
Vergamq;, uti pejora porrò
His etiam & graviora victis
Minentur. eheu nos miseros, cùm
Philippe Belgis res redijt tuis,
Ut ipse succidaneum quem
Esse tibi voluisti, & instar
Vicarij tantum, ille potissimum
Gentis procuret exitium tuæ,
Crudelis: inpestemq; nostram, ac
Perniciem tua jussa vertat?
At non eras hoc pollicitus tuis:
Si fas tuos nos dicere, quos ita
Fœdè exteris eviscerandos
Immeritò Dominis propinas.
Non, inquam, eras hoc pollicitus tuis
Philippe, tunc cum regna tuæ petens
Hispaniæ, efferres supremos
Mattiaca regione gressus.

Tunc dia cunctos otia, & aurea
Manere te secla auspice, tunc tuis
Sua omne, dicebas, in ævum
Iura fore inviolata Belgis,
Pro queis, ô æqui, & propositi tenax
Princeps, Iberi hoc servitij jugum,
Legumq; contemtum, tuisq;
Pollicitis aliena reddis.
At tu Britanni quæ sola temperas
Regni, idq; nostro non procul à mari,
Flos Principum illibate, quotquot
Sol oriens videt occidensq;:
Facunda: quantum vix homini datum est,
Rerumq; prudens: quodq; rei est caput,
Ex torribus quæ Christianis
Perfugium toties fuisti:
Si perpeti pro te prece Belgici
Supina cælo brachia tollimus:
Fessis memento ferre tandem
Rebus opem: miseræq; genti,
Confisa quæ te vindice, publica
Heu vota sceptris supposuit tuis,
Succurre, consultura nostris
Rebus, & historiæ Britannæ.
Non Regis ut nos legibus eximas
Nostri, esse cujus nos juvat in fide:
Sed ut peregrini latronis
Faucibus eripias vorandos.

Limphata

Limphata cui mens, non Mareotico,
Verum innocentum sanguine, nil nisi
Cædesq́ʒ Maranasq́ʒ spirat
Insidias, & operta bella.
His ille nixus, municipes duos,
Præter virûm tot millia, Principes,
Egmondum & Hornanum subegit
Carnifici dare colla ferro.
His nuper & te Carole compulit
Iurata pacis fœdera publicæ
Abrumpere, in caputq́ʒ sanctum
Tale nihil meriti Ammiraldi
Indigna regem condere funera:
Fortuna qui cum non modo Galliæ,
Sed major & spes Belgicanæ
Visa rei simul ire pessum,
Exempla cur verò ista peto foris,
Præsertim apud te? tàm modò non tuo
Periculo edoctam, quid auri
Poßit, & imperij cupido.
DEO sed ô sit gratia, qui tibi
Dias in oras luminis extulit,
Deditq́ʒ Maranas videre
Insidias & operta bella.
Frustra putabas ferro ita providam,
Frustra veneno tollere principem
Albane: decernente cælo,
Christicolis miseris ut esset

Isto tui quæ servitij jugo
Nos liberatos, assereret manu
Tandem: suas dareteq; Belgis
Vindicias & avita jura.
Sic ô DEUS, sic ditis & Insulæ
Regina faxis, unius ut DEI
Ductu, tuoq; restitutam
Rem patriæ videamus olim.
Tunc digniori te Citharæ sono,
Ventura nec quem secla redarguant,
Canemus: ô juventa nostris
Materies satis una Musis.




ODE VIII.
Ad
GULIELMUM CECILIUM BORLÆI REGULUM, REGIOq; apud Anglos ærario Præfectum, cum ei Odam præcedentem mitteret.

O Liberi flos nectare dulcior,
Tactæq; succis ambrosiæ dapes:
O prandia optata, ô jocunda
Mi meminisse diem voluptas.
Vocanda votis ô quoties meis
Illa, hospitem me tradere quæ tibi
Lux ausa. ne vivam Cecille,
Nec tibi sit mea Musa curæ,

Quod

Quod si mihi unquam, dum relegens sua
Vestigia, illuc unde ierat redit,
Nascentem inire visus annum
Auspicio meliore Phœbus.
Ecce arbitrabar (sint procul hinc, procul
Commenta vatum) nescio quem novum
Solona descendisse cælo.
Usq; adeò mihi grata vestri,
Borlæe, *vox solatioli aurium*
Cava adpetebat: mox & in intimas
Per ossa descendens medullas
Multiplici penetrabat ictu:
Sed proprium ut nil terrigenis boni
Datum est Olympo! vix benè mensa erat
Remota, cum responsa nobis
Regia, (quam procul heu petitis?)
Facundiæ vis exposuit tuæ,
Novaq; mentem tristitia gravem
Penè obruit: nec passa longùm
Frustra hilarem nimis esse Douzam.
Oborta nox hinc, hinc subita mihi
Ferrugine omnem. Cynthius æthera
Complesse, retrorsumq; visus
Præcipites agitasse currus.
Atq; inde abivi, mille molestijs
Peresus, ut nec me miserum cibus
Iuvaret, aut somnus cupita
Lumina contegeret quiete.

Isto tui quæ servitij jugo
Nos liberatos, assereret manu
Tandem: suas dareteq; Belgis
Vindicias & avita jura.
Sic ô DEUS, sic ditis & Insulæ
Regina faxis, unius ut DEI
Ductu, tuoq; restitutam
Rem patriæ videamus olim.
Tunc digniori te Citharæ sono,
Ventura nec quem secla redarguant,
Canemus: ô juventa nostris
Materies satis una Musis.



ODE VIII.
Ad
GULIELMUM CECILIUM BORLÆI REGULUM, REGIOq; apud Anglos ærario Præfectum, cum ei Odam præcedentem mitteret.

O Liberi flos nectare dulcior,
Tactæq; succis ambrosiæ dapes:
O prandia optata, ô jocunda
Mi meminisse diem voluptas.
Vocanda votis ô quoties meis
Illa, hospitem me tradere quæ tibi
Lux ausa. ne vivam Cecille,
Nec tibi sit mea Musa curæ,

Quod

Quod si mihi unquam, dum relegens sua
Vestigia, illuc unde ierat redit,
Nascentem inire visus annum
Auspicio meliore Phœbus.
Ecce arbitrabar (sint procul hinc, procul
Commenta vatum) nescio quem novum
Solona descendisse cœlo.
Usqꝫ adeò mihi grata vestri,
Borlæe, vox solatioli aurium
Cava adpetebat: mox & in intimas
Per ossa descendens medullas
Multiplici penetrabat ictu:
Sed proprium ut nil terrigenis boni
Datum est Olympo! vix benè mensa erat
Remota, cum responsa nobis
Regia, (quam procul heu petitis?)
Facundiæ vis exposuit tuæ,
Novaqꝫ mentem tristitia gravem
Penè obruit: nec passa longùm
Frustra hilarem nimis esse Douzam.
Oborta nox hinc, hinc subita mihi
Ferrugine omnem Cynthius æthera
Complesse, retrorsumqꝫ visus
Præcipites agitasse currus.
Atqꝫ inde abivi, mille molestijs
Peresus, ut nec me miserum cibus
Iuvaret, aut somnus cupita
Lumina contegeret quiete.

Mœrore sed toto impatiens thoro
Versarer, inter mille molestias:
Pro patria, & cum patria optans
Ire simul pereunte pessum, ac
Vocans beatos hoc quibus obtigit.
Nec mirum, agebar plus cruce simplici
In vota: curarumq; mixtus
Acer erat stimulus pudori.
His victa quamvis lumina jam sopor
Penè occuparat, quod potui tamen
Sic semisomnis, ad relicta
Munia Pieridum refugi.
Atq; hosce, cujuscunq; modi tibi
Versus videntur, pro Batavis meis,
Bonoq; communi, meaq;
In patriam pietate feci.
Bataviæ ex queis perspiceret statum
Regina, tuq;, & si quis amantior
Æquis: ne indignos Britanno
Auxilio putas esse Belgas.
Paratus Albanum & ducem, & impium
Albano Iberum cum duce militem,
Nondum piatis tot piorum
Manibus inferias referre.
Tu verò ô aures da vacuas mihi,
Musisq; prome quas tibi pignori
Linquo, meis si fortè possit
Sic fieri medicina curis.

Non

Non hic avorum facta leges tuûm:
Non res tuas hîc carmine masculo
Dictas recognosces Cecille,
Tergemino celebrande honore.
Magna canant te voce, quibus dedit
Fortuna dotes, ô, propius tuas
Novisse, & usurpare coram
Aure, oculis, animiq; mente.
Facundiæ vis quid valeat tuæ
Sensi ipse, cum tot verba suavia,
Mellita cum tot dicta nuper
Nestereo iaceres ab ore.
Sensi ipse sensi, pervia ut omnia
Tua ista vox mi fecerit aurium
Templa, intimasq; se in medullas
Multiplici penetrarit ictu.
Quid mirum? ubi ipsa huic eloquio favet
Dulciq; curas decipitur sono
Regina, doctarumq; juxta
Nereidum recreantur aures?
Quas inter uxor tantum alias tua
Veris honorum dotibus anteit,
Quantum minores inter ignes
Plena nothe micat orbe Luna,
O te beatum sorte ter, & quater
Tua, vetustas seu quis imagines,
Seu spectet è gestis paratos
Rebus, & ingenio triumphos?

"Tali beatum, sed mage compare.
Quo Musa ferris? desine Principum
Laudes virûm, ah, rudis juventa
Deterere, ingeniiq; culpâ.

FINIS.



PAULI

PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI GERMANI

COMITIS PALATINI ET EQV. POETÆ LAUREATI, CIVIS ROMANI


MELICORVM LIBER PRIMUS.

AD

PAVLVM MELISSUM SCHEDIUM.

OS Hermetis habes, modum Apollinis harmoniasq́;
Orphei: tres unus docte Melisse refers.
Ore, modo, harmonijs, Hermetis, Apollinis, Orphei,
Profer, conde, sona, verba, poëmata, melos.

Johan. Lauterbachius P. L.



AMPLISS. AC PRUDENTISS. V.

CONSULIBUS ET SENATORIBUS REIPUBL. FRANCOFURTANÆ,

M. JUSTUS GRISIUS S. D. P.



QUUM primam hujus Opusculi partem Coss. & Senatui reip. Berolinensis propter gravissimas & justissimas causas dicavissem, V. amplis. hanc secundam me vobis offerre debere, non levioribus caussis impulsus judicavi. Primùm enim inter Marchiæ civitates principem ferè locũ vestra, quam cum laude ac summâ cum prudentiâ administratis, obtinet. Deinde in sinu vestrô continetis illam omnium artium seminarium, doctrinarum domicilium, virtutum plantarium,

rium, Academiam: ex quâ, tanquam ex equo Trojano innumeri quotidiè viri prodeunt, qui ingenij & doctrinæ gloriâ clarissimi, laudem illam, quam in omnem de se terrarum ambitum latissimè sparsit, sustineant pulcherrimè. Huc accedit, quod vestram erga homines liberalium artium scientia excultos prolixam ac munificam voluntatem sæpè cognovi, qui viderim, in ijs fovendis, sustentandis, ornandis, nullam à vobis occasionem temerè fuisse dimissam; nullam aliam ob caussam, quàm quod optimè omnium intelligatis, sine literarum adminiculo, neque rempubl, posse feliciter gubernari, neque hominum societatem diu sartam tectamque conservari. Illas enim esse, quæ doceant refrenare libidines, spernere voluptates, iracundiam tenere, arcere avaritiam, cæterasque animi labes repellere. Postremò singularem erga me benevolentiam, quum studiorum caussâ, vestrâ in urbe commorarer, non solùm ostendistis sæpissimè, verum etiam plurimis & illustribus amoris signis amplificastis subinde atq; auxistis. Accipietis igitur V. amplifs. hoc munus literarium, non tanquam *ἀντίδωρον* vestrorum meritorum, sed meæ tantum in vos observantiæ gratiq; animi tesseram. V. Berolini IV. id. Aug. Anno salutis, CIↃ IↃ XV.

AD



AD

FONTES FRANCONIÆ

MELOS PRIMUM.

LIMPIDI *fontes, & amæna pulchris*
Fontium rivis loca, vosq; Nymphæ,
Queis decem totos mihi nunc carendum
Amplius annos:
Ah siti vestros quoties anhela
Pressus optavi gelidos liquores,
Obvijs possem quibus aridas re-
stingvere fauces!
Iam sed heu multo magis acriusq;
Tam salutareis avidus petisso
Haustibus lymphas, peregrinus Hunnûm
Miles in oris:
Cæsarem Thracas meditantem in hostes
Arma, dùm Martis studio sequutus,
Igneos sævi tolerare cogor
Sideris æstus.
Quàm velim molli recubare in umbra,
Quâ strepit vivis SALA *noster undis,*
Frondeas inter corylos, virentes
Inter & alnos!

Confiteor

Consitos lætis patrios viderem
Vitibus colles, Cererisq́ campos
Fertiles, hortosq́ sacros, & antrum
Fontis aviti.

Heîc ego evitans medio sub æstu
Fervidos Solis radios & ignes,
Amne mersarem gelido calentes
Corporis artus.

Interim (nam vos mihi denegatum est
Cernere) ô fontes, ô amœna pulchris
Fontium rivis loca, vosq́ casto
Pectore Nymphæ.

Millies salvete mihi. perennes
Sint aquæ vobis, viridesq́ semper
Populi densa coryliq́ ripas
Fronde coronent.

Post gravis belli varios labores,
Post vices duras miseramq́ sortem,
Dulce post longos meminisse casus
Ante malorum.

AD VICTORINUM STRIGELIUM:

MELOS II.

QVI primus à suavitate, ceu jocans,
Gentem vocavit Suevicam,
Musis amicus hic comesq́ Gratijs,
Carusq́ Cypridi fuit:
Hoc nemo quiquam nec venustius, neq́ est
Locutus unquam verius.

Iacobo

Tacebo comes, melleas, affabiles
Matrum puellas gaudia;
Quas aut Nicer formosus, aut pulcher Lycus
Nymphis creatas blandulis
Eduxit. unum te, Strigeli candide,
Vel millium ponam loco:
Nil quippe suavius, nihil te mitius
Vidi, nihil jucundius
Linguæ diserta profluit facundia
Perennis instar fluminis;
Quod fert Hymettus melle dulci dulcior,
Imbriq; puro Nectaris.
Suadæ, medulla tu decusq; gymnasi,
Tuæq; flos es Sueviæ.
Quis me furorum submovens Phœbi choro
Ad arma concitat fera;
Tubas ut inter Martiumq; classicum
Nudo rigescam sub Iove?
Næ dulce te coram loquentem audire, næ
Vultus identidem tuos
Spectare malim, & usq; perfrui invicem
Consortione mutua;
Seniq; pariter deditus Camerario
Tiliæ sub umbrosæ comis
Sedens in herba, musicis Elystrium
Mulcere flumen cantibus.
Frustra ah dolemus. quod nequit mutarier
Fatum necesse est perferam.

AD PETRUM ENOCUM:
MELOS III.

SI certamina Marte singulari
PETRE vis inire mecum;
Fac congrediare, quandocunque
Tibi collibebit.

Utrumcunque probaris eligendum
Neque velit ationes
Leves, neque dimicationum
Gravium recusem

Pugnam. Sed vereor Latina nenon
Satis apta Gallicanis
Sint arma. Pares utrumque sanè
Melius decerent

Instructus. tamen experire quicquid
Potes, aleaque jacta
Sortis gemina, reduplicatas
Age prome vires:

Nervos tende manus pedesque firma,
Animosque semigræcos
Fortis simula, quibus resistas
Equiti Latino.

Ut bis, ter, Petre, Celticis ovatu
Potiare victor armis:
Plures mihi teutona arma tandem
Parient triumphos.

AD

AD GEORGIUM BUCHANANUM SCOTUM:

MELOS IV.

TE sive chordas Pindaricæ lyræ,
Aut Flaccianum tendere barbiton
Miratur Euterpe, canoram
Scita movere Chelyn sororum;
Seu te Maronis grandisona tuba
Laudes canendo cœlicolæ patris
Stupet triumphantem, graveq;
Mæonidæ numeros tonantem:
Palmam, virorum præmia fortium
Contentiosis digna laboribus,
Concedat ultrò jam necesse est
Emerito tibi, Buchanane.
Quàm Vida docti lumina seculi
Vicit Poëtas carminibus piis;
Ipsumq; Vidam cæterosq;
Tàm potis es superare vates.
Quod si Camœnis inferior tuis
Est nostra Clio, debilis assequi
Sublimitates, verticosi
Cui minitant juga celsa Pindi;
Musa memento dona bifariam
Divisa. nam me multiplici sono
Natura pangendos amœné
Harmonicos docuit canores.

His Rhenus, his & perstrepit Ister; &
His Albis, his & tu reboas Sali:
Hos Mænus audit, Nicrus audit:
Hos & amant mea cura Nymphæ.
Compacta virtus fortior in tua
Existit una. tu decus orbis es,
Vatumq; Princeps, Buchanane, &
Sol Scotiæ, genitalis oræ.
Certare soli sidera nulla sint
Ausura, quamvis splendida maximè;
Nedum verecundæ Melissus
Franconiæ nigricans ocellus.

AD
HIERONYMUM VVOLFIUM
OETINGENSEM:
MELOS V.

HIems recedit algida;
Ver appropinquat, ora
Dulci tepore proferens,
Optata floribusq;
Volucribusq; blandulis:
Et tu severe VVolfi
Nondum senectæ pondere
Eo gravatus usq;,
Ut occubantem tristibus
Mors obruat tenebris;
Vitale lumen nuntias
Iam jamq; deserendum?

Quin

Quin vive, vive, donicum
Tuo priús Melisso
Incîdat Atropi manus
Abrupta fila, cumq;
Filis colum. Non, non tibi
Umbras nigras timendum.
Atrasve Tartari domos;
Convexa sed Tonantis
Rotatili volumina
Speres videre motu
Post fata. Cæterùm prius
Quàm te locet supremo
Perennis immortalitas
Cælo. fac ô bibendos
Fonteis olori des meo,
Quos Pegasi refódit
Subcalcitrantis ungula;
Iisdemq;, dum nitet ver,
Iunonias riges rosas.
Sic te meus volatu
Pernice sevectum cygnus
In alta (qua fluento
Iter renidet lacteum
Liquore) tollat astra:
Sic usq; lirino comæ
Tibi fragrent inunctæ.

IN P. C.

MELOS VI.

QVanta vis hostes animi domantis,
Quæve in heroo Duce magnitudo
Mentis, & quantum queat excitatus
Pectore fervor:
Terna declarant satis illa bella
Pro focis pugnata, sacris & aris;
Clarius monstrat meliusq; summæ
Hora diei;
Omnibus nervis ubi dimicando
Prælians, vires animose totas
Exeris princeps, gravibusq; tandem
Occidis armis:
Quippe quem nemo, nisi bellicosis
Hostium stipata manus catervis
(Proh fidem!) caræ spoliare quivit
Munere vitæ.
Tanta pol virtus, domita Zigetho,
Tale erat robur comitis Serini;
Cujus heu vidi mutila caput cer-
vice revulsum.
Cedite ô Bruti, Decij, Metelli;
Cedite hinc priscis celebres ab annis:
En recens fusi specimen dat ingens
Borbo cruoris.

AD JO-

AD JOHANNEM CRATONEM CRAFTHEMIUM. IMP. CONSIL. & Medicum intimum.

MELOS VII.

AMabo, mi dulcis Crato,
Cur insignia nolim
Mea decorari carmine,
Aut præconia nostro
Doctissimorum seculo
Acceptare virorum?
Si Ferdinandus Caroli
Frater Cæsaris, & jam
Tum Cæsar ipse, laurea
Me donare corona
Equestribusq; censuit
Claræ nobilitatis
Insignibus, dignum sua
Majestate futurum
Opus; probante Cæsaris
Mentem consiliumq;
Toto Senatu judicum:
Non est quod sibi turpe
Quisquam putet, vel se & suis
Indignum celebrare,
Cygnum meum cum lilijs,
Munus Cæsaris ingens.

 Ferunt

Ferunt Alexandrum ducem
A solo nisi pingi
Apelle, & à solo nisi
Lysippô sua fingi
Commenta noluisse: sic
(Nam Cres me quoq; Portus
Regem Poëtarum facit)
Non hæc lilia cuivis,
Nec hic olor meus volo
Describatur, at illis
Solum viris, qui temporis
Nostri sunt decus. inter
Hos quum locarim te Crato,
Ægrè ferre videris:
Quod dum facis, non jam mea
Adversaris honori,
Tuis sed obstas laudibus.
Nam poniq; legiq;
Doctissimos inter viros,
Certè maxima laus est.

AD
OBERTUM GIPHANIUM
J. C.
MELOS VIII.

IMprovisa Ducum fata cadentium,
Insontesq; animas immeritò truci
Lethatas nece flentem
Multis non sine questubus,

Cur

Cur Oberte *jubes luctisonam chelyn*
Me suspendere? cur parcere lacrymis?
Non me caute Niphates,
Nec tauri juga saxea,
Horrens nec genuit vertice caucasus:
Sed mater, Salici filia fluminis,
Qua Germanida Francen
Agnosco patriæ sinum.
Heu! plenos oculis fudimus uvidis
Fonteis, tot scatebris largiter uberes,
Ut te MÆNE *fluentis*
Ex undantibus auxerint.
Miranti alluviem fratris & impetum
Rhena, Necharicæ Naiades adstupent,
Et quas ripa Mosellæ
Tristeis elicit alveo
Nymphas. haut erit, ut mens hilari joco
Frontem mœstitiæ nubibus obsitam
Exporrecta serenet:
Vultum fingere Protei est.
Lætos læta juvant. cur aloë favos,
Cur absinthia (vah!) loton amaricent?
Dic Falconis *habenti*
Nomen, Cecropiis fides
Aptet carminibus, tàm citharæ sciens,
Ipse Mæoniæ quàm benè virgines.
Quo dicente, Giphani,
Dulcis gaudia lectuli;

Ad cœlum

Ad cœlum lepido Sponsa vocabitur
Versu, suave animæ delicium tuæ:
Se totam quia gaudet
Consecrare Thalaßio.
Mater tediferûm dia cupidinum,
Trino dispositis ordine Gratijs,
Myrtataq́ꝫ Napeæ
Ductabant agileis choros.
Applaudet Dryadum gyrus amabilis,
Et quanta est juvenum turba procantium.
Ipse expers Hymenei
Abstrusos recolam specus,
Deplorans miseræ funera Galliæ.
Nam nec nobilium me fieri puto
Vatum, nec mea cedris
Insculpent metra posteri.
At vobis subolem sufficiat novam
Hæredem patrij Cypria nominis:
Forsan me sine prole
Sors vult luctibus immori.
Ut CHRISTO *placitum, sic volupe est mibi,*
Pressum cura licet tundat acerbior
Illo dulce volente est
Vita claudere terminum.



AD EUN-

AD EUNDEM OB. GI-PHANIUM J. C.

MELOS IX.

ATticas noctes nimis arcta furvis
Iam diu sub Cimmericon tenébris
Arca detentas rigido, Giphani,
Carcere clausit.

Credulam frustrà per opinionem
Foveram spes, ambiguas futuri;
Liberas frustra fore destinaram
Compede vinctas.

Qualis, astrorum duce Noctiluca
Menstruos gyrante globos, eburnâ
Futilis párens fore somniorum
Ludit imago:

Haud secus vanis taciti involucri
Hactenus mentes avidas figuris
Noctium Phœbo gravis Atticarum
Umbra fefellit.

Non eas Aristophanis lucernæ,
Non eas pernox oleum Cleanthis,
Non eas priva pote luce quicquam
Reddere claras.

Allaborandum fuit, expetitum
Ne jubar fixis radijs abesset,
Cujus obscura nitor atra nubis
Vela fugaret.

Ecce prælustris face luminosâ
Blanditer fulget tibi viva Lampas,
Frigida Lethes metuens Avernis
Stinguier undis.
Lampas, Auroræ similis rubenti,
Ut serenati referans Olympi
Limen, Eoos micat ante Solis
Pulchra jugales.
Illa nimirum thalamis pudicis
Defuit, qua tute carens, carere &
Nos coëgisti tot Agellianis
Noctibus Annos.
Lucubra cum Luce Tua Giphani;
Roscidum liba mel, apicularum
Rore tam præstans mage, quàm liquenti
Sacchara mulso.
Hanc dehinc Zonas cupidè solutam,
Carceris longi forulis reclusis,
Ire cernemus gravida solutum
Vincula capsa.
Protinus nuptæq; tibiq; lætum
Hunc favens Lucina diem videndi
Copiam, nobisq; tuis, precamur
Ritè ministret.
Unico partu simul Atticarum
Noctium dici pater atq; prolis
Mascula condignus (io!) merebis
Non sine plausu.

AD IO-

AD JOAN. LAUTERBACHIUM P. L.

MELOS X.

Suaviam tuam suavißimam,
Suaviam tuam dulcißimam,
Suaviam tuam castißimam,
Pro salute nunciata.

Suaviter uno suavio,
Oscularer obvio osculo,
Basiarem amico basio;
Mos sed ista, lex sed ista
Improbat vetatq́; : nec licent
Quæ libent. nec hercle tu sinis;
Quin nec ipsa, ut id sinas, sinit.
Musa factitet necesse est.

Si negabis hoc Musa mea,
Si negabit hoc & Suavia;
Quod negas, & uxor quod negat,
Ipse factites oportet.

Ergo quo Poëta suavior
Et Poëta JANE *es dulcior*
Castiorq́; ; eo tu suaviis
Osculisq́; basiisq́;
Suaviare suavioribus,
Osculare dulcioribus,
Basiaq́; castioribus
Pro salute nunciata

Suaviam

Suaviam tuam castißimam,
Suaviam tuam dulcißimam,
Suaviam tuam suavißimam.

IN NATALEM ROSINAE C. F.

MELOS XI.

Virgo, quæ florum studiosa, cultis
Præsides hortis, decus herbularum,
Sive tu Chloris, dea, sive gaudes
Flora vocari:
Candidæ natalis adest ROSINÆ;
Fac tuæ pulchris manibus Napææ
Mille jam nectant maris ex virenti
Rore coronas.
Najades castæ, Dryadumq; vernans
Turba, cum Nymphis aderunt pudicis;
Gratiæ & Musæ quoq;, Oreadesq; &
Pura Diana.
Sparge pulsandam pedibus dearum
Mollibus terram violis rosisq;;
Alba Iunoni folijs tenellis
Sparge ligustra.
Dum Choros ducent mea cura divæ,
Præcinens Clio, præiensq; Pallas
Ritè festivo nova temperabunt
Gaudia plausu.

Phœbus aurato residebit arcu,
Personans leni cithara: ROSINAM.
Myrtus incinget, mihi digna crines
Laurus obibit.
Hæc dies solennis erit: quotannis
Hanc diem, & te Flora, meamq; Nympham
Annuò nostræ celebrare pergent
Carmine Musæ.

AD PETRUM BEUTERICHUM J. C.

MELOS XII.

NON semper atris mens pia succidit
Rerum procellis quassa labantium;
Nec semper assurgit minace
Impius indomitus lacerto;
Procera qualis fraxinus arduis
In saltuoso Pinifero comis.
Sævos inexpugnata ridet
Turbines Boreæ reflatus;
Donec trisulci fulminis igneo
Dejecta telo, triste superbiæ
Crimen piatura arbor, Euris
Ludibrium Zephyrisq; debet.
Cœlo Tonantem vidimus arbitras
Æquis bilances funiculis, parem

Utrinq; protentis ad unguem,
Pendere. tum bona tum maligna
Dijudicatis conditionbus
Vindex diremit. Stat sua reprobis
Solvenda iusto pœna fato:
Stat sua danda piæ cohorti
Merces. vides, ut quum levat aut premit
Vertentis anceps turriculi rota,
Non fortuitò quicquid hoc est
Accidat, absq; DEI statera!
Te turbulentæ militiæ rigor
Non auspicatis, PETRE, furoribus
Bis (væ Camœnis) implicatum
Sanguinea nece territarat:
Bis vita Musis est data fœnori,
Nutu Jehovæ. jamq; (quod ô bonum
Felixq; sit) te Vita dote
Altera, dijs similem, beavit.
Prædæ supellex heu tua cesserat;
Quom percruento Marte duellica
Paßim recrudescens Erinnys
Gallica conscelerare arva:
Loco librorum nunc tibi liberos
Hæc procreabit Iana, simillimi
Fœcunda partus, mutuiq;
Fœdera perpetuans amoris;
Queîs cuncta reddet sartaq; tectaq;.
Ex hoste ductis non spolijs eges

Praduve.

Prædiuve, nuptæ prædiorum
Beuteriche *eximiè locuples,*
Tanquam paratus fine brevi mori,
Partis memento Petre *bonis frui:*
Tanquam perennaturus ultra
Parcito divitijs vicißim.
Prudentis hic est vir sapientiæ,
Considerato qui duplici modo
Illiberalis vitat esse
Plus nimio, nimiumve largus.

DIALOGUS P. MELISSI ET N. CLEMENTIS TRELÆI:

MELOS XIII.

Clemens, dulcis ocelle Gratiarum,
Quas dignè tibi pro lepôre plenis
Ronsardi *celeberrimi libellis*
Me persolvere gratias decebit?
C. *Sat puto mihi gratiæ rependi,*
O Mellite Melisse, *mel sororum*
Acceptare quod annuis vetustos
Ronsardi *lepidißimi libellos.*
M. *Absurdum velut ac parùm decorum est*
Donum respuere elegans Poëtæ;
Sic præter meritum sit indecensq́;
Valdè, non aliquid referre gratum.

C. *Quid*

C. *Quid majus meliusve flagitarem?*
Dum tu me teneris beas Phalæcis,
Vincis munificentiore dextra.
Quæ das, sunt tua; quæ ipse, sunt alius.
M. *Si tanti modulos facis tenellos,*
Tot poscam nitidum pedes Catullum,
Is quot basia Lesbiam poposcit;
Ronsardi numero modos ut æquem.
C. *Cur poscis modulos Catullianos?*
Vitam si traheret Catullus ipse,
Mallet herclè pedes Melissianos;
Par Gallo numeris ut esset illi.
M. *Meæ spiritus est levis Thaleiæ,*
Nec vis sat gravis ipsi inest Catullo.
Heus! an non ab olore Gallicano
Iunctis versibus ambo viceremur?
C. *Versu laus sua cuiq; digna cedat:*
Tu sis Teutonicæ lyræ repertor,
Ronsardus pater esto Gallicanæ,
Argutus Latiæ Catullus auctor.
M. *Redux sit Maro, sit redux Homerus;*
Dircæusq; & Horatius resurgant:
Primas Vindocino (reor) Poëtæ
Sedes quatuor unico resignent.
C. *Gallus, deliciæ meæ, Poëta*
Phœbum, Castalidesq;, Palladem q;
Gestat pectore, dextera, cerébro.
Gallo deneget ecquis ergo palmam?

M. *Laudum*

M. *Laudum muneribus sed & secundæ*
Partes, non sine tertijs, fruuntur;
Et quisquis celebri vetustiorum
Choro proximus æmulatur ire.
C. *Sic & pluribus est locus Poëtis:*
Nam nec castra novem facit sororum
Miles lauriger unus; & corollis
Decerptis, revirescit ipsa laurus.
M. *Sane tu quoq;*, Nicolaë, *vatum*
Haud postremus eris probatiorum;
Seri quom tua legerint nepotes
Celtico metra cantitata rythmo.
C. *O si, quod pede Gallico susurro,*
Annos Vindocinæ tubæ; vel ævum
Exæquet Schediæ Lyræ, quod olim
Latina fide canto: quàm beabor!
M. *Interim tibi candidate* Clemens,
Cingo laureola caput virenti:
Tàm condigna tuis sit hæc capillis,
Quàm tu carus Apollini deisq;.
C. *Quod me (evax) cumulas honore tali,*
Decus *laurigeri Chori* MELISSE;
Tanto gratior hæc mihi corona est,
Quanto tu prior omnibus Poëtis.

AD
JOAN. JACOBUM BOIS-
SARTUM Vesontinum.
MELOS XIV.

ANtiquitates, quas per ampla Romuli
In urbe miramur, tua
Böissarte *pridem dextera, haud gravi sine*
Labore pictas, tamdiu
Latére privis ecquid ab in scriniis;
Ecquid tot annis obsitas
Senére perfers? ede tandem, amabo te,
Et has tuosq; Cæsares
Spirante factos è metallo vividos.
Prodesse nati, plurimis
Prosimus; haud amiculis solummodò.
Non imperator hic recens
(Ut liberalis est) vetustis tesserit
Pensans labores Regibus.
Auro coronet ille, justis præmiis,
Tuam remunerans manum:
Lauro decoras ipse (namq; hâc dignus es)
Tibi renodabo comas.
Addam corymbos myrteasq; bacculas;
Auctorq; posteris ero,
Laudes ut æternitate versus hos tuo
Sculpant honori in marmore.
Vatiq; Pictoriq; solertissimo
Musis Amico & Gratiis,
Perenne Boissarto superstiti datum,
vix quale constat mortuis,
Mercedis ergo collocandum marmor hoc
Æterna fama censuit.

AD

AD JOACHIMUM CAMERARIUM Pabepergensem.

MELOS XV.

Laudibus merces alij Sabaeas
Aut Erythraeos celebrent lapillos,
Quicquid & mittunt pretiosioris
Seres & Indi.
Hi Phrygum mirentur opes, at illis
Aureae mentes hilarent arenae,
Quas Tagus Gangesve suo beati
Flumine volvunt.
Scilicet cordi mihi sunt eruntq;
Quam diu terris mea vita duret,
Rara Thesauri monumenta Graeci,
Gaza perennis.
Bis, ter ó lucem Joachime faustam
Tale qua primùm Stephani Minerva
Mente complexam dare cogitavit
Provida donum!
At diem multo cano faustiorem
Quo cothurnatis dedit ecce magnas
Has opes Musis Academiarum
Vsq; fruendas.
Illius (seu lux foret orta, seu nox)
Quëlibet prodesse simul studentis
Nec manus nec mens opera, nec ullo
Victa labore est!

Donec indagata modò heic, modò illic,
Mille Grajorum loca pervagando,
Quæq; lustrarit radio sagaci
Florida Tempe.
Unde selectos ad amussis unguem
Surculos, stirpesq; feraciores,
Et seri plantas dociles, ad istos
Transtulit usus.
Ceu vigil gnavis operatus agris,
Arborum nata serie, colonus
Educaturas bona ponit almas
Cretica vites:
Aut Aristæos veluti per hortos
Chloris, herbarum studiosa cultrix
Areis parcit nisi fructuosum
Condere semen.
Sic nec heic lappæ tribulive surgunt;
Non filix aut ruscus iners & aspri
Pullulant vepres, sterelis nec usquam
Regnat avena.
Cardui runcata seges, videre est
Heic nihil senti, lolio resecto:
Ulla nec caulem scit originemve
Barbara radix:
Si qua laus tetra caruisse labe;
Si decus nullis scatuisse mendis,
Qualium libros propè constat omnes
Esse refertos.

Tute quod cernens Joachime, *nosti*
Millibus longè melius trecentis
Atticè doctis simul & Latinè,
Arte magistra.
Ecquis ab, tantas quibus auctor hasce
Consecrat gazas, minus esse gratus
Certet? ut par est, sua non negentur
Præmia doctis.

AD SEBASTIANUM SCHEFFERUM:

MELOS XVI.

QVam diu tuam
Agnellulam
SCHEFFERE *deseres*
Expositam rabidis luporum
Dentibus? velut
Ocelluli
Pupilla lucida
Tegmine protegitur reducta
Non secus tibi
Carissimam
(ni forsan oderis)
Debueras manibus tueri
Pastor impigris.
Sed hanc puto
Curæ parentium
Dum redeas, benè credidisti.

Ferunt Alexandrum ducem
A solo nisi pingi
Apelle, & à solo nisi
Lysippô sua fingi
Commenta noluisse: sic
(Nam Cres me quoq; Portus
Regem Poëtarum facit)
Non haec lilia cuivis,
Nec hic olor meus volo
Describatur, at illis
Solum viris, qui temporis
Nostri sunt decus. inter
Hos quum locarim te Crato,
Ægrè ferre videris:
Quod dum facis, non jam mea
Adversaris honori,
Tuis sed obstas laudibus.
Nam poniq; legiq;
Doctißimos inter viros,
Certè maxima laus est.

AD
OBERTUM GIPHANIUM
J. C.
MELOS VIII.

IMprovisa Ducum fata cadentium,
Insontesq; animas immeritò truci
Lethatas nece flentem
Multis non sine questubus,

Cur

Cur Oberte jubes luctisonam chelyn
Me suspendere? cur parcere lacrymis?
Non me caute Niphates,
Nec tauri juga saxea,
Horrens nec genuit vertice caucasus:
Sed mœrer, Salici filia fluminis,
Qua Germanida Francen
Agnosco patriæ sinum.
Heu! plenos oculis fudimus uvidis
Fonteis, tot scatebris largiter uberes,
Ut te MÆNE fluentis
Ex undantibus auxerint.
Miranti alluviem fratrũ & impetum
Rhenæ, Necharicæ Naiades adstupent.
Et quas ripa Mosellæ
Tristeis elicit alveo
Nymphas. haut erit, ut mens hilari joco
Frontem mœstitiæ nubibus obsitam
Exporrecta serenet:
Vultum fingere Protei est.
Lætos læta juvant. cur aloë favos,
Cur absinthia (vah!) loton amaricent?
Dic Falconis habenti
Nomen, Cecropijs fides
Aptet carminibus, tàm citharæ sciens,
Ipse Mæoniæ quàm benè virgines.
Quo dicente, Gipbani,
Dulcis gaudia lectuli;

Ad cœlum

Ad cœlum lepido Sponsa vocabitur
Versu, suave animæ delicium tuæ;
Se totam quia gaudet
Consecrare Thalassio.
Mater tediferûm dia cupidinum,
Trino dispositis ordine Gratijs,
Myrtatæq; Napææ
Ductabant agileis choros.
Applaudet Dryadum gyrus amabilis,
Et quanta est juvenum turba procantium.
Ipse expers Hymenæi
Abstrusos recolam specus,
Deplorans miseræ funera Galliæ.
Nam nec nobilium me fieri puto
Vatum, nec mea cedris
Insculpent metra posteri.
At vobis subolem sufficiat novam
Hæredem patrij Cypria nominis:
Forsan me sine prole
Sors vult luctibus immori.
Ut CHRISTO *placitum, sic volupe est mihi,*
Pressum cura licet tundat acerbior
Illo dulce volente est
Vitæ claudere terminum.



AD EUN-

AD EUNDEM OB. GL PHANIUM J. C.

MELOS IX.

ATticas noctes nimis arcta furvis
Iam diu sub Cimmericon tenebris
Arca detentas rigido, Giphani,
Carcere clausit.

Credulam frustrà per opinionem
Foveram spes, ambiguas futuri;
Liberas frustra fore destinaram
Compede vinctas.

Qualis, astrorum duce Noctiluca
Menstruos gyrante globos, eburnâ
Futilis parens fore somniorum
Ludit imago:

Haud secus vanis taciti involucri
Hactenus mentes avidas figuris
Noctium Phœbo gravis Atticarum
Umbra fefellit.

Non eas Aristophanis lucernæ,
Non eas pernox oleum Cleanthis,
Non eas priva pote luce nunquam
Reddere claras.

Allaborandum fuit, expeditum
Ne jubar fixis radijs abesset,
Cujus obscura nitor atra nubis
Vela fugaret.

Ecce præluſtris face luminosâ
Blanditer fulget tibi viva Lampas,
Frigida Lethes metuens Avernis
Stinguier undis.
Lampas, Auroræ ſimilis rubenti,
Ut ſerenati referans Olympi
Lumen, Eoos micat ante Solis
Pulchra jugales.
Illa nimirum thalamis pudicis
Defuit, qua tute carens, carere &
Nos coëgiſti tot Agellianis
Noctibus Annos.
Lucubra cum Luce Tua Giphani;
Roſcidum liba mel, apicularum
Rore tam præſtans mage, quàm liquenti
Sacchara mulſo.
Hanc dehinc Zonas cupidè ſolutam,
Carceris longi forulis recluſis,
Ire cernemus gravidæ ſolutum
Vincula capſæ.
Protinus nuptæq; tibiq; lætum
Hunc favens Lucina diem videndi
Copiam, nobisq; tuis, precamur
Ritè miniſtret.
Unico partu ſimul Atticarum
Noctium dici pater atq; prolis
Maſculæ condignus (io!) merebis
Non ſine plauſu.

AD IO-

AD JOAN. LAUTERBACHIUM P. L.

MELOS X.

SVaviam tuam ſuaviſsimam,
Suaviam tuam dulciſsimam,
Suaviam tuam caſtiſsimam,
Pro ſalute nunciata.

Suaviter uno ſuavio,
Oſcularer obvio oſculo,
Baſiarem amico baſio;
Mos ſed iſta, lex ſed iſta
Improbat vetatq́; : nec licent
Quæ libent. nec hercle tu ſinis;
Quin nec ipſa, ut id ſinas, ſinit.
Muſa factitet neceſſe eſt.

Si negabis hoc Muſa mea,
Si negabit hoc & Suavia;
Quod negas, & uxor quod negat,
Ipſe factites oportet.

Ergo quo Poëta ſuavior
Et Poëta JANE es dulcior
Caſtiorq́; ; eo tu ſuaviis
Oſculisq́; baſiisq́;
Suaviare ſuavioribus,
Oſculare dulcioribus,
Baſiaq́; caſtioribus
Pro ſalute nunciata

Suaviam

Suaviam tuam castißimam,
Suaviam tuam dulcißimam,
Suaviam tuam suavißimam.

IN NATALEM ROSINAE C. F.

MELOS XI.

Virgo, quæ florum studiosa, cultis
Præsides hortis, decus herbularum,
Sive tu Chloris, dea, sive gaudes
Flora vocari:
Candidæ natalis adest ROSINÆ;
Fac tuæ pulchris manibus Napææ
Mille jam nectant maris ex virenti
Rore coronas.
Najades castæ, Dryadumq́; vernans
Turba, cum Nymphis aderunt pudicis;
Gratiæ & Musæ quoq;, Oreadesq́; &
Pura Diana.
Sparge pulsandam pedibus dearum
Mollibus terram violis rosisq;;
Alba Iunoni folijs tenellis
Sparge ligustra.
Dum Choros ducent mea cura divæ,
Præcinens Clio, præiensq́; Pallas
Ritè festivo nova temperabunt
Gaudia plausu.

Phœbus

Phœbus aurato residebit arcu,
Personans leni cithara: ROSINAM.
Myrtus incinget, mihi digna crines
Laurus obibit.
Hæc dies solennis erit: quotannis
Hanc diem, & te Flora, meamq; Nympham
Annuò nostræ celebrare pergent
Carmine Musæ.

AD PETRUM BEUTERICHUM J. C.

MELOS XII.

NON *semper atris mens pia succidit*
Rerum procellis quassa labantium;
Nec semper assurgit minace
Impius indomitus lacerto;
Procera qualis fraxinus arduis
In saltuoso Pinifero comis.
Sævos inexpugnata ridet
Turbines Boreæ reflatus;
Donec trisulci fulminis igneo
Dejecta telo, triste superbiæ
Crimen piatura arbor, Euris
Ludibrium Zephyrisq; debet.
Cœlo Tonantem vidimus arbitras
Æquis bilances funiculis, parem

Utrinq; protentis ad anguem,
Pendere. tum bona tum maligna
Dijudicatis conditionbus
Vindex diremit. Stat sua reprobis
Solvenda iusto pœna fato:
Stat sua danda piæ coborti
Merces. vides, ut quum levat aut premit
Vertentis anceps turriculi rota,
Non fortuitò quicquid hoc est
Accidat, absq; DEI statera!
Te turbulentæ militiæ rigor
Non auspicatis, PETRE, *furoribus*
Bis (væ Camænis) implicatum
Sanguinea nece territarat:
Bis vita Musis est data fœnori,
Nutu Jehovæ. *jamq; (quod ô bonum*
Felixq; sit) te Vita dote
Altera, dijs similem, beavit.
Prædæ supellex heu tua cesserat;
Quom percruento Marte duellica
Passim recrudescens Erinnys
Gallica consceleraret arva:
Loco librorum nunc tibi liberos
Hæc procreabit Iana, simillimi
Fœcunda partus, mutuiq;
Fœdera perpetuans amoris;
Queîs cuncta reddet sartaq; tectaq;.
Ex hoste ductis non spolijs eges

Pradùve.

Prædiuve, nuptæ prædiorum
Beuteriche *eximiè locuples,*
Tanquam paratus sine brevi mori,
Partis memento Petre *bonis frui:*
Tanquam perennaturus ultra
Parcito divitijs vicißim.
Prudentis hic est vir sapientiæ,
Considerato qui duplici modo
Illiberalis vitat esse
Plus nimio, nimiumve largus.

DIALOGUS P. MELISSI ET N. CLEMENTIS TRELÆI:

MELOS XIII.

CLemens, dulcis ocelle Gratiarum,
Quas dignè tibi pro lepóre plenis
Ronsardi *celeberrimi libellis*
Me persolvere gratias decebit?
C. *Sat puto mihi gratiæ rependi,*
O Mellite Melisse, *mel sororum*
Acceptare quod annuis vetustos
Ronsardi *lepidißimi libellos.*
M. *Absurdum velut ac parum decorum est*
Donum respuere elegans Poëtæ;
Sic præter meritum fit indecensq́;
Valdè, non aliquid referre gratum.

C. *Quid*

C. Quid majus meliusve flagitarem?
Dum tu me teneris beas Phalæcis,
Vincis munificentiore dextra.
Quæ das, sunt tua; quæ ipse, sunt alius.

M. Si tanti modulos facis tenellos,
Tot poscam nitidum pedes Catullum,
Is quot basia Lesbiam poposcit;
Ronsardi numero modos ut æquem.

C. Cur poscis modulos Catullianos?
Vitam si traheret Catullus ipse,
Mallet hercle pedes Melißia nos;
Par Gallo numeris ut esset illi.

M. Meæ spiritus est levis Thaleiæ,
Nec vis sat gravis ipsi inest Catullo.
Heus! an non ab olore Gallicano
Iunctis versibus ambo viceremur?

C. Versu laus sua cuiq; digna cedat:
Tu sis Teutonicæ lyræ repertor,
Ronsardus pater esto Gallicanæ,
Argutus Latiæ Catullus auctor.

M. Redux sit Maro, sit redux Homerus;
Dircæusq; & Horatius resurgant:
Primas Vindocino (reor) Poëtæ
Sedes quatuor unico resignent.

C. Gallus, deliciæ meæ, Poëta
Phœbum, Castalidesq;, Pallademq;
Gestat pectore, dextera, cerebro.
Gallo deneget ecquis ergo palmam?

M. Laudum

M. *Laudum muneribus sed & secundæ*
Partes, non sine tertijs, fruuntur;
Et quisquis celebri vetustiorum
Choro proximus æmulatur ire.

C. *Sic & pluribus est locus Poëtis:*
Nam nec castra novem facit sororum
Miles lauriger unus; & corollis
Decerptis, revirescit ipsa laurus.

M. *Sane tu quoq;,* Nicolaë, *vatum*
Haud postremus eris probatiorum;
Seri quom tua legerint nepotes
Celtico metra cantitata rythmo.

C. *O si, quod pede Gallico susurro,*
Annos Vindocinæ tubæ; vel ævum
Exæquet Schediæ Lyræ, quod olim
Latina fide canto: quàm beabor!

M. *Interim tibi candidate* Clemens,
Cingo laureola caput virenti:
Tàm condigna tuis sit hæc capillis,
Quàm tu carus Apollini deisq;.

C. *Quod me (evax) cumulas honore tali,*
Decus *laurigeri Chori* MELISSE;
Tanto gratior hæc mihi corona est,
Quanto tu prior omnibus Poëtis.

AD
JOAN. JACOBUM BOIS-
SARTUM Vesontinum.
MELOS XIV.

M *Antiqui-*

ANtiquitates, quas per ampla Romuli
In urbe miramur, tua
Böissarte pridem dextera, haud gravi sine
Labore pictas, tàmdiu
Latére privis ecquid ab in scriniis;
Ecquid tot annis obsitas
Senére perferes? ede tandem, amabo te,
Et has tuosq; Cæsares
Spirante factos è metallo vividos.
Prodesse nati, plurimis
Possimus; haud amiculis solummodò.
Non imperator hic recens
(Ut liberalis est) vetustis tesserit
Pensans labores Regibus.
Auro coronet ille, justis præmiis,
Tuam remunerans manum:
Lauro decoras ipse (namq; hâc dignus es)
Tibi renodabo comas.
Addam corymbos myrteasq; bacculas;
Auctorq; posteris ero,
Laudes ut æternitate versus hos tuo
Sculpant honori in marmore.
Vatiq; Pictoriq; solertissimo
Musis Amico & Gratiis,
Perenne BOISSARTO superstiti datum,
vix quale constat mortuis,
Mercedis ergo collocandum marmor hoc
Æterna fama censuit.

AD JOACHIMUM CAMERARIUM Pabepergensem.

MELOS XV.

Laudibus merces alij Sabaeas
Aut Erythraeos celebrent lapillos,
Quicquid & mittunt pretiosioris
Seres & Indi.
Hi Phrygum mirentur opes, at illis
Aureae mentes hilarent arenae,
Quas Tagus Gangesve suo beati
Flumine volvunt.
Scilicet cordi mihi sunt eruntq́;
Quam diu terris mea vita duret,
Rara Thesauri monumenta Graeci,
Gaza perennis.
Bis, ter ó lucem Joachime *faustam*
Tale qua primùm Stephani *Minerva*
Mente complexam dare cógitavit
Provida donum!
At diem multo cano faustiorem
Quo cothurnatis dedit ecce magnas
Has opes Musis Academiarum
Vsq; fruendas.
Illius (seu lux foret orta, seu nox)
Quëislibet prodesse simul studentis
Nec manus nec mens opera, nec ullo
Victa labore est:

Donec indagata modò heic, modò illic,
Mille Grajorum loca pervagando,
Quæq; lustrarit radio sagaci
Florida Tempe.
Unde selectos ad amussis unguem
Surculos, stirpesq; feraciores,
Et seri plantas dociles, ad istos
Transtulit usus.
Ceu vigil gnavis operatus agris,
Arborum nata serie, colonus
Educaturas bona ponit almas
Cretica vites:
Aut Aristæos veluti per hortos
Chloris, herbarum studiosa cultrix
Areis parcit nisi fructuosum
Condere semen.
Sic nec heic lappæ tribulive surgunt;
Non filix aut ruscus iners & aspri
Pullulant vepres, sterelis nec usquam
Regnat avena.
Cardui runcata seges, videre est
Heic nihil senti, lolio resecto:
Ulla nec caulem scit originemve
Barbara radix:
Si qua laus tetra caruisse labe;
Si decus nullis scatuisse mendis,
Qualium libros propè constat omnes
Esse refertos.

Tute quod cernens Joachime, *nosti*
Millibus longè melius trecentis
Atticè doctis simul & Latinè,
Arte magistra.
Ecquis ah, tantas quibus auctor hasce
Consecrat gazas, minus esse gratus
Certet? ut par est, sua non negentur
Præmia doctis.

AD SEBASTIANUM SCHEFFERUM:


MELOS XVI.

QVam diu tuam
Agnellulam
SCHEFFERE *deseres*
Expositam rabidis luporum
Dentibus? velut
Ocelluli
Pupilla lucida
Tegmine protegitur reducta
Non secus tibi
Carissimam
(ni forsan oderis)
Debueras manibus tueri
Pastor impigris.
Sed hanc puto
Curæ parentium
Dum redeas, benè credidisti.

Quin recurre, quin
Retro vola,
Et cum misellula
Turturis instar agente vitam
Solitariam
Ingratiis
Osorum, & hostium
Lætus ini Thalamũ jugalem.
Namq; te suum
ESTER *manet*
Pudica comparem,
Sub tiliæ viridante ramo:
Quà canens, pijs
Musis sacer,
Strasburgus invidas
Carmine sistit aquas Elystri.
Det tibi DEUS,
Quod expetis
Idemq; det tuæ,
Ipsa quod ante alias meretur
Virgines. Satis
In exteris
Moratus es locis:
I, patriam pede vise fausto.



PAULI



PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORUM LIBER SECUNDUS.

STEPHANO NEUDORFERO Noribergensi JCt. Cameræ Spirensis Advocato.

MELOS PRIMUM.

SI qua pudicam conjugem vir nactus est,
Et dote casta divitem;
Huic margaritas & lapillos Indicos,
Rubrique baccas æquoris
Præferre nolim, nec Midæ magnas opes,
Ga[illegible] [illegible] Lydias.

Talis benignè dexteri solo DEI
Donatur uxor munere
DEUM verenti. quippe casus haud eam
Nec fortuita sors dabit.
Certè supremus omnium multa viro
Orandus est pater prece,
Quicunque fidam vult apisci conjugem
Pudore casto præditam.
O te beatum ter quaterque & amplius
Stephane, sacratarum decus
Legum; pudico quem Beatrix pectore,
Fidelis & decens tori
Consors, amoris æstuantem mutuo
Flagrans maritum diligit
Igni; nec (unum præter) ullos discupit
Lusus Dionæ noscere.
Ætatis hæc in flore, vitis in modum
Plenis racemis turgidæ,
Fœcunda similem compari prolem suo
Progignat, aucta fœtibus.
Quales in auras hortus educit ferax
Novos olivæ termites;
Mensam coronent pulchra læti pignora,
Mater decóre ornet domum.
Lis sæva, turpis ira, & acre jurgium
Procul fugata hinc exulent.
Pax mitis, æqua mens, soror Concordiæ
Regnent timore liberæ;

Timore

Timore vano, qui sinistri vel mali
Quid suspicetur perperam.
Auras Cytheris entheas afflet, meros
Spirent amores Gratiæ.
Adversitatum si tamen quid obstrepat,
Quas fert Procellosus Notus
Aliusve rigidis Eurus; has lenes statim
Remolliant Favonij.
Tranquilliore sic amantes Cypriam
Sistatis in portu ratem.

IN MALLIUM.

MELOS II.

INclyti fama celebri Poëtæ,
Ipse quos sacris operans camœnis
Sedulò primis colui (colamq;
Semper) ab annis;
Sive vos solers genuit Quiritum,
Sive Gallorum, vel Iberus æther,
Teutonum seu vos liquidas in auras
Terra creavit:
Quinq; trecentum mihi nunc Iambis
Lividis adsit, quibus immolando
Mallius collo juguletur atris
Hostia Diris;
Mallius Phœbi pudor, & dearum
Pestis, & vatum capitalis hostis;
Omnium qui scripta nec æstimavit
Vnius assis.

Candidos posthac canis iste Vates
Ausit indigno lacerare morsu?
Iactet in quosvis rabidum Poetas
Usq; furorem?
Quam diu virus tolerare vultis?
Tanta proh quorsum probra sustinetis?
Hoc ne sic impune ferat, solutus
Vindice Pœna?
Quin Lycam-beïs jecur usq; ad imum
Saucium telis agitate monstrum
Tale, portentumq; hominu, per ignes
Per maris undas.
Nec vagabundo requies, nec ullus
Sit locus, tutis ubi degat antris:
Quin & angustus sit, & arctus illi,
Totus hic orbis:
Nec mori possit miser, ipse quamvis
Prodigus vitæ, cupidusq; mortis,
Afferat tinctam sibimet profuso
Sanguine dextram.

AD PETRUM RONSARDUM Eq. Vindocinum.
MELOS III.

NON *Gallia tantum, scita gravis soni,*
Te patriorum littora fluminum
Ronsarde, *claræ personantem*
Pectinibus Citharæ stupescunt:

MÆNUS

MÆNUS refusis Franconicus vadis,
Me musico, odas cornibus ad tuas
Solerter elatis serenam
Attonita bibit aure vocem.
Ipsos videres Tubaron & Salam
MÆNI gemellos, hunc pede dextero,
Illum sinistro, vitrearum
Sistere curriculum suorum:
Sic ad sonores Ismariæ fidis
Hebrum reflexu amne ferunt aquis
Stetisse, miratosq; voces
Strymona Threiciumq; Nestum
Symphoniarum. Quam fuerant prius
Nymphæ Poëtas indigenæ sacros
Et Celtin Huttenumq;, & ipsum
Lotichium quoq; prosequutæ
Philtris amantes; tam Philotesiis
Te demereri dulcibus extera
Quamvis in ora procreatum
Francigenam tamen, usq; quærunt:
Matuta pulchro seu rubra Phosphoro,
Seu Vesperugo solis equis comes,
Lucem diebus, noctibusve
Invehat umbriferas tenebras.
Tuum cavarum margine vallium,
Et frondeorum vertice collium
Nomen susurrantes, adurunt
Tura tibi, tibi vota solvunt.

Te pra-

Te præter omnes, inclyte, principem
Solum Poëtarum indigitant: ad hæc
Patrem Camænarum fatentur;
Stirpis & Hectoreæ patronum
Gaudens salutat Francia nobilis,
Secura clausis Hercynij jugi
Sylvis: honorem saltuosus
Pinifer ingeminat triumphi.
Quid multa? Cantor Franca per oppida
Oblivionem carminibus tuis
Defendo, Germanos docere
Callidus insolitum canorem.
Non usitatis dum ferimur vijs,
Prisci sequentum tramitis orbitas,
Vestigiorum me recentum
Indicijs juvat immorari.
Tecum perennis jam genij, Petre,
Pleno futurum est, plenus ut ipsemet
Fortassis æternem per ævum
Teutonicam fidicen Camænam.

AD

RHENUM FL. GERMANIÆ.

MELOS IV.

RHENE, *Nympharum pater, amniumque*
Rex, quot Almanis dominantur oris;
Sic suas Mænus tibi, sic Mosella
Misceat undas:

Pone

Pone turgentes age pone fluctus;
Mitte conceptas violenter iras
Meq; victoresq; bonos fasello
Devehe salvo.
Ipse fœcundis gravidos racemis
Palmites, frugesq; novas, & hortos
Fructibus fœtos, nemorumq; sylvas
Carmine dicam:
Splendidas urbes quoq; cum beatis
Villulis, arcesq; jugis in altis,
Et juga & valles, scatebrasq; vivo
Fonte fluentes.
Audiat voces melici Melissi
Colloquens antro genitiva diva:
Aura tangendas resono sonore
Verberet aures.
Hinc Palatinos proceres ducesq;
Lesbijs pandet fidibus Thaleia,
Francica regum fuerint ut olim
Stirpe creati.
Te sed in primis cano, Rhene felix,
Quemq;, curarum gravium levamen,
Educas ripa laticem Lyeum
Dives utraq;.
Bachus hos montes amat, hosce colles;
Bachus has valles colit, hasce ripas;
Bachus heic ARAM sibi consecravit
Perpete ritu.

Hic li-

Hic loquor versus subicit Poëtis,
Musicis cantus. Cereris valete
Cocta. tu vatis memor i perenni
Rhene meatu.

AD
NATHANEM CHYTRAEUM
MENCINGIUM.
MELOS V.

MElle & nectare dulcioribus
Respondi Melissi *literis.*
Hæc ipsissima verba tunc erant
Cari fratris ad quendam tui,
Mi Chytræe, *Lemanici lacus*
Quom forem propinquus accola;
Heic ubi Rhodanus Valesiis
Lymphas congregans è vallibus
Restagnante celerrimus ruit
Vado. Sed cupitis me frui
Responsis hodierna adhuc vetat
Hora, felle longè amarior;
Hora, alumine multo acerbior;
Hora, bile virulentior.
Ergo tutemet enthëis sacrum
Nathan *dotibus cor incitus,*
Aut frater tuus ille grandior,
Qui roseta carpitis mera
Cultos Varniadum per hortulos;
Aut ambo simul rependite

Vices,

Vices, aut potiùs remittite
Exemplum papyri perdita:
Dum me Neccaricis *Sicnios*
Hymnos accinentem ripulis
Myrtilletus amœna detinet
Palatina propter culmina.
Ni fiat, mihi creditote, quæ
Mel & nectar esse remini,
Vobis tam citò dulcitudinem
Amissura, desituraq́;
Alvearia sive Hymettios
Faves, seu placentas Atticas,
Seu thymum redolere; quam citò
Versum iri, Chytræe, *inaudies*
Ob desideriorum anhelitus
Et suspiriúm frequentiam
Liquescentem animam ipsius meam
Insalsas amaritudines.

IN
CALENDAS NOVEMBRIS.
MELOS VI.

A*uspicio novem sororum*
Notitiam mihi November
Pallados Utenhoviiq́;
Concilias. Sacræ Melisso
Semper erant tuæ Calendæ,
Quas memorent novem Camenæ,

Pro

Pro meritis tibi voventes
Carmina syllabis novenis,
Carmina versibus novenis.

I. CLIO.

N*Ata celebrare Iehovam*
Regesq; ducesq; Camenæ,
Citharis adstate lyrisq;
Fas pangere mense Novembri
Laudis nova carmina thyrso
Animis omni sine fuco.
His Carolus ille Calendis,
Simul his innotuit illa
Pallantia nympha Melisso.

II. EVTERPE.

V*Oluptabilis est bonorum*
Et jucunda beatitudo,
Quos junxit probitas fidesq;.
Hac nil dulcius est in urbe,
Hac nil suavius est in agro,
Hac nil pulchrius est utrinq;.
Mansvescunt homines in urbe,
Mitescunt homines in agro,
Lenit pax & agros & urbes.

III. THALEIA.

V*Irens Libani velut Cedrus*
Cacumine læta frondeo
Perenne comis regerminat:

Pari

Pari cor amiculis modo
Vigens, animusq; pertinax
Marcescere, floret integer.
Cedrum rigat ille ros tener
Adoreüs; at cor avidus
Rigat Clariæ latex aquæ.

IV. MELPOMENE.

CAntibus & numeris meris
Personat unanimis chorus;
Lacte natant labra melleo:
Candidulus per olympium
Æthera vectus ovans cygnis
Grex melos usq; reclangitat.
Nil nisi carmina montibus,
Nil nisi cantica vallibus
Blandisono reboant modo.

V. TERPSICHORE.

GRaciles agitare manus,
Agiles glomerare pedes
Iterabitis innocui:
Niveüs Iocus ipse micat,
Roseüs pudor ipse salit,
Micat & salit Euphrosyne.
Agitur benè cum sociis,
Ubi mens sine fraude patet,
Sine crimine simplicitas.

VI. ERATO.

AMor, sincerus amor verè;
Fides, sincera fides stricto
Liget vestras animas nodo.
Favillæ mutuus accensæ
Calor vos urat, & æternum
Manens incordiet æqualeis.
Columbos Utenovi vincis,
Palumbes Pallas amando, sed
Melissus turturibus par est.

VII. POLYMNIA.

CLarus insigneis nitet inter
Carolus vates, nitet inter
Clara laudatas dea Nymphas.
Clarior fiet meus ex se
Carolus; dicente Melisso
Clarior Pallantia fiet.
Elaboratum dare marmor
Posteri novistis eburve;
Musa donabit memor ævum.

VIII. URANIE.

ALbe qui polo micas olor
Candidos amicos aureis
Celsa plumulis ad astra fer:
Heic ubi canora Thracij
Chordulis sonantibus lyra
Vatis orbe lacteo subest.

Quid

Quid moraris? astra vatibus
Digna sunt, & astris dignus est
Cœtus inclytorum pectorum.

IX. CALLIOPE.

PRomere voce bona laudes,
Voce bona doctos canere
Novi perstrepitante fide.
Quò te proripis Utenhovi,
Sidera tam citò contingens?
Quò tua proripitur Pallas?
Nescius adspergi maculis
Nempe quid ingenuus CANDOR
Cæli promeruisse domos.

PARODIA.

MELOS VII.

COlonus ille quem videtis incola,
Ait fuisse miles impigerrimus,
Neq; ullius volantis impetum globi
Nequisse sustinere; sive in humido
Opus foret coire, sive in arido.
Et hoc negat triumphum agentis Adria
Negare littus, extimosve Cyprios,
Hetruriamve, & inclytam Neapolim,
Liburniam, sinumve Cretici maris:
Ubi iste, post Colonus, agminis fuit
Tribunus antè. Nam cohorte in hostium
Canente mille vulnera edidit tuba.

Ibere ductor, & columna lauriger,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitißima
Ait colonus. Horrida crepidine
Tuos stetisse dixit inter ordines,
Rubro imbuisse vasta sanguine æquora:
Et inde tot per expatrata prælia
Manum tulisse, leva sive dextera
Vocaret ala, sive utrumq; Thrax ferox
Simul phalangas impulisset ad latus.
Neq; ulla vota Martialibus deis
Sibi esse facta, quom rediret à mari
Lepanthico hunc adusq; Francium Salim.
Sed hæc prius fuere: nunc colit juga,
Serit novale, seq; dedicat tibi
Amice Liber, atq; amica Liberi.

AD
JOHAN. HORTINUM.
MELOS VIII.

HORTINE *pulchri consitor hortuli,*
Thalaßiorum flos juvenilium;
Quasnam corollas nuptiales,
Quæ tibi serta parit capillos
Vinctura, cordis fibra tui trahax
Iabel, puellarum eximium decus?
Ecquem geremus fronte ramum
Participes nemoris sodales?

Baccata

Baccata sylvæ filia Cypriæ
Castis honori est myrtus amantibus:
Myrtum Dionæis Cupido
Conjugibus sacrat osculandam.

Exoticorum vos vice terminum
Herbas fragrantes nectite virgines.
Vernis amictum me sub antris
Tempora rore velim marino

Aut Nerviorum stella Masurius,
Aut Buchananus lux Scotiæ queat
Spectare, Veronæq; ocellus
Scaligero patre procreatus.

Succincta suras, nuda sinum, deæ
Subter beatis Arabiæ jugis
Acclivis illibata quondam
Thura legens Libanotis ibat.

Manabat udo ros pede vitreüs:
Salubris afflans aura Favonij
Mulcebat herbarum comantum
Summa, levi tremefacta caule.

Hanc irretorto lumine Capripes
Vix conspicatus, fervidior calet
Flammis inardescentis Ætnæ;
Fervidiorq; focis Cyclopum.

Prendenda Nymphe diffugit ocyor
Euro: citatis insequitur furens
Plantis petitor: seminati
Glutit humus pia grana thuris.

 Enata

Enata posthinc est fruticis seges,
Puris virentis semper odoribus,
Seu bruma sive æstas recurrat;
Virgineamq́; notam tenentis.
Salve perenni germine prænitens
Radix, vigescentum æmula frondium
Lauri: ter ô salve quaterq́;,
Suavior arboribus Cytheres,
In hortulorum te Cevalerias
Cultrix amœnis inseret arcũ,
E Semigermanis Britannis
Ad vada glauca redux Lemanni.
Non te nives, non horrificum gelu
Lædet, nec acer tristibus Africus
Immane dum stridet procellis,
Nec grave flamen Apeliotæ.
Nec supplicabis, quom sities, Iovi,
Torrente prati gramina Sirio:
Quippe est suapte sponte Iuno
Irriguum pluitura nimbum.
Protuberatis mille decentius
Gemmante prægnans cortice surculis
Vestibit apricos, nec absq;
Delicijs, tua virga campos:
Serò creatis unde nepotibus
Utroq; longum sospite, gestiant
Hortinus & formosa Iabel
Texere perpetuas coronas,

AD MINERVAM.

Melos IX.

Ingeniosissima cœlitum dearum,
E cerebro nata Iovis, parens loquelæ
Cecropiæ, virgo pudica, virginumq́;
Flos, & honorata oleagini repertrix
Termitis; ô, sive Minerva, sive Pallas
Dædala amas, seu Polymetis, invocari;
Præses item sedula lucubrationum,
Cui quoq́; tutela dicata noctuarum:
Quas tibi nunc fundo gemens, benigniorem
Tangitor aurem querimonijs amaris.
Castalium Scaligeri tui meiq́;
Hospitium (quo tibi consecrata sedes
Regia, Pandionijs ut olim in aris)
Quercera febris, febris occupavit horrens,
Bestia Semalgida & inde Semicalda;
Quæ misero discrucians herum dolore
Concutit excarnificatq; maceratq́;
Omnium opis subsidiariæ carentem.
Bellipotens, armigeri magistra Martis,
Atq; eadem Pieriæ patrona gentis:
Ægida quin terribilem, caput Medusæ
Anguineis implicitum comis gerentem
Corripis; hastamq́; vibratilem coruscans
Mittis in os dirum alicariæ voracis;
Deq; tua præcipitem datam cathedra,

Supplicioq; (ut merita est) atroce mactam
Trudis ad undas Erebi voraginosas;
Aut scopulis Caucaseis redalligatam
Vindice constringere sustines catena?
Ut, Dea, seu vulnere læsa præliari,
Sive cicatrice cruenta saucieris,
Mater ut Anchisiadæ Cupidinisq;,
Sive (quod absit procul omen, absit) omnis
A lue prorsum interimare pestilenti:
Te medicaturus in integrum paternis
Restituet Scaligeri herbulis, ut alter
Phyllirides aut Epidaurius; vel ipsa
Scilicet ex morte lubens resuscitabit;
Vel (modò febris labefacta perdometur)
Ægisonam consimilem suapte credo
Indole progignere erit potis Minervam.

IN GERMANORUM BACHANALIA.

Melos X.

Saltationes, trepudiaq;, choreæq;
Insanientum quas furore bachantum
Satan in orbem malè choragus invexit,
Ac dissolutis moribus dedit mentes:
Detestor execrorq; vos ad extremum.
Valete; abite in rem malam. Lemannus me
Tuta locatum in parte nunc sui regni,
Nymphæq; Rhodani prodigos voluptatum

Luxus

Luxus perosæ, continent sinu casto,
Iuxtaq; CHRISTI vivere edocent normam;
Nec limitatam transilire fas metam.
Quin & priusquam conspicarer hæc regna,
Aut me Lemannus civitate donasset,
Lubensq; submisisset hi gubernaclis;
Persæpè vobis mille fervidus Diras
(Hoc novit Ister, novit Albis, & Rhenus,
Rhenique frater Mœnus) imprecatus sum?
Vos sæpè Ditiq; inferisq; devovi
Faces amoris & libidinis fœdæ,
Veneris pedisequas, illicesq; furtorum
Gyros, originemq; turpium rerum.
Quid? Orgiorum non fuere nocturnis
Oestris Lyæi concitæ diurnisq;
Stimulationes his pares? negatote.
Hem! nonne similes & fuere Curetes,
Tumultuosis tympanis Cybelleis
Tinnitibusq; pruriens cohors æris?
Per me licebit, ebrio madefacti
Caput fraterno, quiq; semper indulgent
Cursu furoris, hos ament, sequanturve
Quò cæca mens fert, impetusq; lymphati
Rapit cerebri, quod nec est suæ sponsis
Nec iuris: ultrò donec in Stygis præceps
Ruant bararrum. Buccinæ, tubarumq;
Et tibiarum fistulæ, & lyræ dulces,
Testudinesq; barbitiq; nil, nil vos

Peccatis, instrumenta inanima, ad hos usus
Quæsita; sed quicunq; vel levi palma
Chordas movendo; Spiritum vel inflando
Hiante lingua, vos sonis repercussis
Solerter animant. Tollite, o Magistratus,
Ex urbe quisq; tollite hinc sua tales
Ballationes, tamq; barbarum morem:
Seu publicè saltare, sive privatim,
Nil commodi bonive, nil honestatis
Præstat. Reclamando furenter ad ravim,
Nulla potestis hæc tueriet lege.
Idem idem pol dixero, quod heic dixi:
Seu publicè saltare, sive privatim
Nec Christianum, nec pium modestumve est.
Nil amplius post exprobrent, neq; incilent
Hi Choliambi. Sic habete, quod sensi,
Stultæ choreæ, tripudia atq; Salturæ.

IN PINAM.
MELOS XI.

EHo, quis iste est, qui tot alto in pileo
Gestare cristas discoloribus solet
Plumis, catena colla vinctus aurea?
Qui follium instar utriumve turgidùm
Suffarcinatus Sericis genualibus,
Modò hac modò illac cursitans, nunc dextero
Nunc & sinistro sic quatit terram pede;
Ut subsidére quasi tremereq; appareat?

Est Pina,

Est Pina, Cyclops ille, solus omnium
Quotquot fuére, suntve, quotve post erunt,
Cynædus impurissimus; qui nec mares
Ipsos, nec esse fœminas sinit probas;
A quo pudica est nulla fermè virginum:
Furore mentis efferæ qui percitus
Contentiones, jurgia & turbas movet,
Gravesq; passim seminat discordias,
Nefandus autor omnium tumultuum.
Ad hæc sibi licere quidvis autumat,
Quum stirpe genitum nobili se jactitet:
Virtutis insit cum quidem nec unica
Scintilla, doctrinave tantum guttula.
Quin helluator ob vorax, multis modis
Abusus almis optimi donis DEI,
Ingurgitas te copia tanta meri;
Ut quo repleris vesperi ventrem obrutum,
Hoc ebriosus manè ructans eggeras:
Quondam molossus ceu vomit coriarij
Frustis comesis sordidarum pellium.
Hic nempe mos est aulicus: sic vivitur;
Sic bibitur, inquam: sic honestati student.
Nam quisquis aut veretur aut subterfugit
nebriari, pernegant virum bonum
sse aut honestum, sobriosq; dictitant
ut perpetrasse aut perpetraturos nefas.
ntegritatem cordis haustibus probant,
Cor donec & mens, integra haud sint amplius.

Tam

Peccatis, instrumenta inanima, ad hos usus
Quæsita; sed quæcunq; vel levi palma
Chordas movendo; Spiritum vel inflando
Hiante lingua, vos sonis repercussis
Solerter animant. Tollite, o Magistratus,
Ex urbe quisq; tollite hinc sua tales
Bacchationes, tamq; barbarum morem:
Seu publicè saltare, sive privatim,
Nil commodi bonive, nil honestatis
Præstat. Reclamando furenter ad ravim,
Nulla potestis hæc tuerier lege.
Idem idem pol dixero, quod heic dixi:
Seu publice saltare, sive privatim
Nec Christianum, nec pium modestumve est.
Nil amplius post exprobrent, neq; incilent
Hi Choliambi. Sic habete, quod sensi,
Stultæ choreæ, tripudia atq; Salturæ.

IN
PINAM.
MELOS XI.

EHo, quis iste est, qui tot alto in pileo
Gestare cristas discoloribus solet
Plumis, catena colla vinctus aurea?
Qui follium instar utriumve turgidûm
Suffarcinatus Sericis genualibus,
Modò hac modò illac cursitans, nunc dextero
Nunc & sinistro sic quatit terram pede;
Ut subsidére quasi tremereq; appareat?

Est Pina,

Est Pina, Cyclops ille, solus omnium
Quotquot fuêre, suntve, quotve post erunt,
Cynædus impurissimus; qui nec mares
Ipsos, nec esse fœminas sinit probas;
A quo pudica est nulla fermè virginum:
Furore mentis efferæ qui percitus
Contentiones, jurgia & turbas movet,
Gravesq; passim seminat discordias,
Nefandus autor omnium tumultuum.
Ad hæc sibi licere quidvis autumat,
Quum stirpe genitum nobili se jactitet:
Virtutis insit cum quidem nec unica
Scintilla, doctrinave tantum guttula.
Quin helluator oh vorax, multis modis
Abusus almis optimi donis DEI,
Ingurgitas te copia tanta meri;
Ut quo repleris vesperi ventrem obrutum,
Hoc ebriosus manè ructans eggeras:
Quondam molessus ceu vomit coriarij
Frustis comesis sordidarum pellium.
Hic nempe mos est aulicus: sic vivitur;
Sic bibitur, inquam: sic honestati student.
Nam quisquis aut veretur aut subterfugit
Inebriari, pernegant virum bonum
Esse aut honestum, sobriosq; dictitant
Aut perpetrasse aut perpetraturos nefas.
Integritatem cordis haustibus probant,
Cor donec & mens, integra haud sint amplius.

Tam

Tum pejerando sæpè contumelijs
Summi Tonantis afficit natum scelus,
Convitiorum mole dura prægravans.
Cruci sacratæ & vulneri quino male-
Dicit; profanat templa; sacra polluit,
Ipsumet ausus, criminarier DEUM:
Mentitur & furatur audacißimè:
Boni quod usquam est, temnit irrisor malus:
Omnes bonos calumniatur peßimè;
Viris nec obtrectare doctis hunc pudet:
Sed hoc ferendum; ni parentum manibus
Protervus insultaret, & ni Cæsarum,
Regum, ducumq; principumq; gloriæ
Ore inquinatiore labem adspergeret.
Quid multa? vitijs est tot immersus, tot heu
Flagitia criminaq; scleraq; in se uno habet;
Magnus quot ingens belluis Pontus scatet.
O pestis, o lues equestris ordinis!
Indigne, quem Lucina in auras miserit;
Indigne, terram qui sacro premas pede;
Indigne, cui Sol præbeat vitæ diem:
At digne, quem turpes Iberûm mentagræ
Contagioq; putridorum vermium,
Semperq; lepra vexet incurabilis:
Tum desit ignis, & tibi desint aquæ.



HENRICO


HENRICO SMETIO V. NOB. & MED.

MELOS XII.

VIVACE postquam carmine alite
Dixisse Reges judaicos juvat,
Moresq; Susannæ pudicos
Helciados, medicæq; vires
Et pondus artis, non sine Batrachum
Pugnis Homeri: quid modulaberis
Posthac Camenarum ore dignum,
Canitie ô venerande SMETI?
Non segne quondam natus in ocium,
Neq; in soporem, queis sineres gravi
Torpescere ætatem senilem,
Desidiæ fugiens, veterno?
Fraudamur, an te magnum opus auspice
Beat Poëtas, quiq; adeo inclytos
Amant Poëtarum maniplos,
Grande decus meriture in annos
Sequentis ævi? Te duce totius
Linguæ Latinæ congeries sibi
Sortitur aptas æqua classes;
Proq; pedum numero modoq;,
Per dictionum multiplicem ordinem,
Antiqua vatum gaudet apiscier
Exempla: queis tyro institutus
Instruit hinc aciem, potius

Patente campo; ceu veterana vis
Peritiorum, cernere fortior
Armis Gradivi, bellicasq;
Res gerere arte peculiari.
Ad umbilicos gestio ducier
Desideratæ millia copiæ.
Contra, quod ipsum me fatiget,
Detineatq;, rogasne SMETI?
Implere Acanthis (adspice) bis decem
Desudo silvas; jamq; adeò super
Fecundus exit fundus; atq;
Se numoro fruticante vincit.
Has ecce totas excutias vigil,
Nil herclè quærendo, invenies nisi
Per mille, tercentena nobis
Vota petitum oculum Rhodantes.





PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORUM LIBER TERTIUS.

Ad Doctiss. V.
M. PANCRATIUM CRUGERIUM,
Quum illi Lauream Poëticam, quâ
pridem dignus fuerat,
conferrem.

MELOS PRIMUM.

FACES *Olympi, quas Latio sono*
Stellas vocavit vox rata Romuli,
Fulgentiores at nitenti
Luce alias aliis videmus;
Sic eruditos inter, ut evidens
Est, doctiores conspicias modo hos

Viros,

Viros, modò illos, qualitate
Pectoris ingeniíq́ꝫ rectè
Consideratâ. Multiplices enim
Tum disciplinas, tum varias amat
Sublimioru mentis artes
Dædala participare dio
Natura sensu; Semper ad altius
Fastigium acres provehere impetus
Adsueta, condignamq́ꝫ palmam
Porrigere eximio labori.
Te liberali pectore, CRUGERI,
Largoq́ꝫ Phœbi munere, divitem
Primis ab annis ad senectæ
Tempora cana, diesq́ꝫ seros
Non una Pallas, non Academia
Commendat una, aut gymnasium unicum.
Versatur in medio Lyceo
Laus tua nota celebritasq́ꝫ
Famæ, & corusci gloria nominis.
Quod si Daphnæis crinis honoribus
Vernans epheborum superbit:
Non ideò veteranus audis
Tirone pejor vel minor. Indolem
Florentis ævi flosculus elegans
Ostendit, & fœtus futuri
Indicium specimenq́ꝫ præbet.
Adultiorum copia largior
Se messe muni comprobat adfatim.

Quid

Quo tardiores ergo Lauri
PANCRATIUM decorare frundes
Senem morantur, grandius hoc ei
Apud nepotes conciliant decus,
Duploq; magmento Minervæ
Efficiunt celebrem Poëtam,
Cui Francofurtum, prisca colonia,
Adsurgat amnis præsidium Oderæ:
Cui gnava Musarum caterva
Calcar ad harmonias Pelasgum
Enucleandas subdat acutius:
Ut hac vel una laude perennius,
Hinc nomen insignes per ausus
Inveniens mereatur ævum.

AD
JOHANNEM HAGIUM.
Medicum & Philosophum.
De præmaturâ PETRI LOTICHII Secundi morte.

MELOS II.

HAGI *Secundi prime Sodalium*
An Fama pennæ verbere Noricos
Petivit agros, lugubremq;
Mœsta obitum tibi nunciavit
Clari Poëtæ, plus oculis tuis
Subinde amati? Me propè nuncius

Funebris à Nicro huc profectus
Terrifico exanimavit ictu.
Mænus stupescens attonito parem,
Nymphæq; tristes me, velut antea
Vix nosse præ squalore dicunt:
Usq; adeò mihi luctuosus
Est pectus angor. Sturmerias genas
Coram videres, oraq; Rugeri,
Qui cum hospitatus sum, recenti
Utraq; pallidiora cerâ;
Iurare posses: Occidit, occidit
Haut parva nostræ gloria Franciæ,
Flos ille vatum cultiorum
Lotichius, Charitum voluptas,
Leposq; Musarum, & nova Apollinis
Imago, nostris vix modicos dies
Ostensa terris, sicue linquis
Triste solum, & petis astra? sicne
Secunde amicos deseris, & secas
Spem curtum amicorum? heu breve & irritum
Stamen vacillantum Dearum!
Heu subito cita fata casu!
Venisse me messem ante modo unicam
Ad Myrtileti mænia, nec tuos
Vidisse vultus, ô Secunde;
Nec sociam tetigisse dextram?
Habere nullam abs te Schedium notam,
Nullum & characterem ingenuæ manus?

Ecquis

Ecquis Poëtarum recentum
Nunc Elegos canet, Edogaspe
Æquè elegantes? quis pedis impares
Modos Phalæci? cui dabitur bono
Æquare dignam posse versu
Phyllida, Callirhoenq; pulchram,
Longoq; amatam tempore Claudiam?
Ut hoc præoptet, quis tamen anxium
Frustra laborem sumet, Hagi.
Sidera ni faveant aventi
Movere plectrum. quin sciet hoc idem
Si quis benignum fors (Sed enim boni
Nascuntur, haut fiunt Poëtæ)
Possideat genium Secundi.

AD
Ampliss. Senatum Noribergensis reipubl.
MELOS III.

QVales apertis ducit hiatibus
Tellus ruinas, quum fragor intimis
Furens latebris cæcus, olim
Vi solida penetrat cavernas;
Rimis dehiscentum anxius ædium
Cardo labascit; nec laquearium
Nexus coassatæve molis
Vindicat heu paries columnas.
Æquos profanis, ut sit haberier
Frustra DEORUM non sine noxiâ,

Lugebis in templos Atlantas
Et Telamonas agi supinos.
Tales videre est Aonidum domos
Flatu susurronum, & variis technis,
Bucconum, ut horrendum ruinis
Non levibus malè dißipari.
Eheu! dolendum est tàm violentibus
Discordiarum gliscere semina
Flammis, & infestis subinde
Alterum in alterius ciere
Furenter exitium acria flictibus
Duella. quorsum? quàm malè dißpares
Aratra deducunt juventi!
Quàm malè gryphes equis adulant!
Vos turbulentas, ó patriæ patres
Procul cohortes vertitis in fugam,
Virtutis ut celsæ renitens
Quisq; viâ generosiorem
Grassatur ad famam, ardua moliens
Plebeia temnens. En, Academiæ
Vestratis antes, si placebit
Quattuor inspicitote; quos &
Doctrina, curis cognita publicis
Et optimarum pulcrior artium
Cultura, & æternans honorem
Principe fama loco reponit,
Albo magistros virgineo insitos.
Te dico, tectis edite Noricis

PHALERE

PHALERE sanctæ doctæ linguæ;
Egregij columen parentis
Quem sermo & ipsum novit Hebraicus
Abunde gnarum, canitie senem
Decente. dein Grajo disertum
Te GLACIANE, sonos decentem
Fervente dignos Rhetore, & Ethicis
Quidquid repertis, ingenio Sophis
Prælatus antistansq; cunctis
Magnus Aristoteles reliquit.
Exinde te, qui mella Poëtica
Libas, ODONTI, floriferis apes
Ut in frutetis, uncta plenæ
Crura thymo, viridiq; anetho.
Te deniq; ô, te, quem mihi propria
PULMARE sacri jure Palatij
Tabellionem, judicemq;
Legitimum prius ordinaram;
Cui Classicarum trita molestia
Tot lectionem numquam ita tædio est,
Quin improbum exantlans laborem
Durima quæq; domes ferendo.
Lucem ô beatam, qua novus additur
Honos Lycéo; qua nova gloria
Surgit Camœnis; quaq; primum
Signa viris gradus auspicata
Defert honestis numine cum bono!
Si quæ futura es postera gens, uti

Certè futura es; hunc (monemus)
Esto memor redimire festis
Diem corollis. Qui numerum augeant
Adsint nepotes usq; redundet hac
Laus publicum urbis in decorem;
Pars quota & hi clueant decoris.

AD
JANUM GRUTERUM.
J. C.

Maronem non esse auctorem Priapejorum sed Martialem.

MELOS IV.

EFFABOR? *an rem*, Jane *silentio*
Reris premendam? Pungere nesciet
Prius vepreti spina adunca,
Urere seminibus malignis
Urtica; quam non in Criticum genus
Accendar irâ. Vergilio optimo
Castissimoq; (heu probra!) vatum
Turpiter attribuere pridem
Lusus procaces Lampsacium in rubrum
Ejusq; telum. Scilicet Eclogas
Quum scriptitaret luculentas,
Agricolisq; opus eruditum,
Clarumq; bello Dardanicum ducem;
Restabat illi desidis otij
Tantum, pudendis ut pudicas
Carminibus temeraret aures.

Chori noveni. Quei memorabile
Tutatus esset Partheniј inditum
Nomen Poëtæ virginali?
Unde igitur malè natus error?
V præferebat Mq́ʒ (velut liber
Manu exaratus noster habet) vetus
Exemplar: hinc pinxere falso
Lemmate Vergiliј Maronis
Illustre nomen, quum Valeri foret
Id Martialis. Qui stilus & modus,
Quod temperamentum priores
Quæve Venus decoret libellos;
Quæ cultiorum gratia Carminum
Amußitato per numeros pede
Oblectet auditoris aures
Perspicuum est, neqʒ eget probari.
Nam delicatos nunc Elegos facit,
Nunc elegantes arte Phalæcios:
Spondæus unaquaq́ʒ fronte
Insidet, idq́ʒ opere universo.
Nonnumquam Iambis personat aut pares
Scazontas infert. Nuncupat hercule
Patrem Priapejum libellum
Ipsa cohors duodena fratrum.
Audacter ergo, & jure quidem bono
Non eviratus, nec mutilatus hic
Triphallus auctori, inq́ʒ privam
Vestibulum sibi vindicetur.

Possessionem. Solus hic auctor est
Hispanus. at si pagina plurium
Esset, quod haut concedo; cunctis
Quei foret una phrasis loquentis?

AD
SIMONEM GENTILEM
J. C.
MELOS V.

SI QVEM *disertum viva animi indoles*
Cordatiorem reddere cæteris
Umquam, sonaturoq; magnum
Ore quid ingeniosa Pallas
Donare quivit; certè equidem metûs
Expers DONELLO *pectus & inclutam*
Vim Dira menti masculamq;
Ingenerârat & hæc & illa
Cum laude vocem. Scilicet impetus
Miratus acres ipse ego (quattuor
Septennia hinc prætervolarunt;
Nam profugos Ligerinum ad amnem
Sancerra celsis ardua collibus
Nos vidit unâ) talia protuli
Tum dicta: Vati, Gallo tribunus
Centuriove cohortis esse
Donelle bello debuerat; ita
Polles loquelâ, consilio vales,
Virtute præstas. Ille contra
Te duce siniferoq; & ipse

Spirabo

Spirabo Martem. Quàm mihi postmodum
Amica ad undas purpurei Nicri
Cum juris atq; æqui patrono
Notities fuerit, tacere
Quam pauca malim dicere. novit hoc
DOBBINUS, *hoc scit* IUNIUS, *optimi*
Viri, locupletesq; linguæ.
Tuq; adeò benè sentientis
Rectèq; nôras intus & in cute
Dotes Hugonis, Scipio; *quippe qui*
Collega postremum fuisti
Illius, eximioq; honore
Duxti colendum, numen ut entheum,
Tam dite pectus copeq;. Pol neq;
Oblitterari scripta cassi
Lumine, nec faciem perire
Sinis sepulti. Gratia te manet
Haut parva, nam quo nomine vindicas
Manes Donelli, *planè eodem*
Post alij quoq; vindicabunt
GENTILIS *umbras, ilia ut invidiæ*
Rumpantur. At nos, alteri in alteros
Dum mutuo ardent, absq; fuco
Copulet unanimis voluntas.



AD JOHANNEM LEONCLAIUM.
Virum Nobilem & CL.
MELOS VI.

OMNES per Europæ atq; Asiæ plagas
Fortuna duxit te varia hospitem,
Acer Leonclai, *tot annos,*
Ut tibi ruga senecta crines
Ningue albicanti sparserit, aureæ
Labes juventæ, tristeq; frontium
Damnum venustarum malumq;
Quo reor Idaliæ nec ullum
Oderæ Nymphæ pejus, & integræ
Floris Napææ; nec pote quispiam
Magis quod obsit consenenti
Deterius reperire crimen.
Ast aula quæ non te sacra Cæsarum
Regumq; vidit? quæ tibi Principum
Potentiorum, quos adisti,
Non patuere libenter aures?
Thracum tyrannus sævior advenam
Tulit benignè, fœderis Austrii
Servator invitus; tametsi
Præstat amicitiam fidemq;
Tenere pactis inviolabilem
Vicinâ in orâ, quam tot acinaces
Mortalium in cædem cruentam
Cotibus exacuisse diris.

Hæc

Hæc inter ecqueis non studiis vacas?
Qua non saturas ambrosiâ jecur
Interpres auctorum Pelasgûm
Optime, & historiæ vetustæ
Enucleator? Non nimis arduum
Paucis nec impar viribus en opus
Me parva temptantem Camena
Adspicit. In vepribus latendo
Hamata russor spicula Cypridis
Supplex, ut anni quam cecini quater
Effictor octonis apisci.
Mi liceat niveam Rhodantem.
At inter isthæc ludicra, quæ legant
Tantum sodales, & tua seria
Discrimen ingens, ut sequestra
Differitas utriusq; Martis.
Tu civitatem munere Romulam
Ditas opimo: tu spolia uberi
Ad occidentem fruge, victor
Ex Oriente refers Eóo.
Palmâ potitus jam modo triplici
Fas est triumphes. Sat meo ovatui
Mustaceo si in rusticano
Quærere laureolam cachinner?



AD

AD
JOHANNEM LEONCLAIUM.
Virum Nobilem & CL.
MELOS VI.

OMNES per Europæ atq; Asiæ plagas
Fortuna duxit te varia hospitem,
Acer Leonclai, *tot annos,*
Ut tibi ruga senecta crines
Ningue albicanti sparserit, aureæ
Labes juventæ, tristeq; frontium
Damnum venustarum malumq;
Quo reor Idaliæ nec ullum
Oderæ Nymphæ pejus, & integræ
Floris Napææ; nec pote quispiam
Magis quod obsit consenenti
Deterius reperire crimen.
Ast aula quæ non te sacra Cæsarum
Regumq; vidit? quæ tibi Principum
Potentiorum, quos adisti,
Non patuere libenter aures?
Thracum tyrannus sævior advenam
Tulit benignè, fœderis Austrii
Servator invitus; tametsi
Præstat amicitiam fidemq;
Tenere pactis inviolabilem
Vicinâ in orâ, quam tot acinacês
Mortalium in cædem cruentam
Cotibus exacuisse diris.

Hæc

Hæc inter ecqueis non studiis vacas?
Qua non saturas ambrosiâ jecur
Interpres auctorum Pelasgûm
Optime, & historiæ vetustæ
Enucleator? Non nimis arduum
Paucis nec impar viribus en opus
Me parva temptantem Camena
Adspicit. In vepribus latendo
Hamata ruspor spicula Cypridis
Supplex, ut anni quam cecini quater
Effictor octonis apisci.
Mi liceat niveam Rhodantem
Et inter isthæc ludicra, quæ legant
Tantum sodales, & tua seria
Discrimen ingens, ut sequestra
Differitas utriusq; Martis.
Tu civitatem munere Romulam
Ditas opimo: tu spolia uberi
Ad occidentem fruge, victor
Ex Oriente refers Eóo.
Palmâ potitus jam modo triplici
Fas est triumphes. Sat meo ovatui
Mustaceo si in rusticano
Quærere laureolam cachinner?



AD

MELISSI
AD
THOMAM ALEUTNERUM.
MELOS VII.

ALEUTNERE novo Pieridum choro
Et Phœbi gregibus, deliciis meis
Adscribare decorum est.
Nam recto graderis pede
Parnaßi in celebris dia sacraria,
Et castis adolescentura fragrantia
Vates purus acerris:
Musæ dignus amarier,
Quam Clejo vocitant. Prima tibi, hæc suus
Ostendit scatebras, claraq́; fontium
Rivorumq́; fluenta:
Quorum largior ob sitim
Haustus corda replet versibus entheis.
Auras æthereas spiritus ingerit,
Magnis Spiritus ausis,
Pollens robore virium.
Nam quæ materies sit nimis ardua
Aut tàm difficilis; quin animi impetus
Illam vindice palma
Omninò sibi subjuget?
Nos Graij docuére, & Latiæ manûs
Victores agere, & veterum modo
Debellare superbam
Nudis barbariem sonis.

Adsi-

Adsitis numeri, cum lituo & tubâ;
Tuq; edocta chelys flectere pectora
Concentûs per amœnos
Et blandissima murmura:
Turpem mox capiet colluvies fugam,
Et quantum est hominum dira rudentium;
At te, seu Philomelæ
Voces, sive acalanthidos
Guttur suavisonum dulciter exprimis,
Seu cygni liquidas hermonias refers,
Nemo non pol amanter
Amplexabitur, obvio
Gestantem viridis vertice Laureæ
Frundes, & titulos laudibus inclutos,
Franci dona Melissi:
Cujus perpetuo favor
Et sincerus amor sit volo cognitus
In gentem penitus (cerne) Silesicam.
Prein tu munere tali
Gaude cum socijs ovans.

AD
Nobiliss. & Clariss. V.
HIPPOLYTUM à COLLIBUS
judicij curiæ Archipalatinæ
Præsidem.

MELOS VIII.

E*VENTUM facilem vix adipiscitur*
Quicquid consilio non geritur bono.

Iusta

Iustæ examine lancis
Res primum trutinanda erit.
Dein cum judicioq; & ratione mens
Prudens suscipiet grande negotium,
Atq; inde side curâ
Effectum dabit illicò.
Quod si priva domi res temerè abnuis
Inconsulta geri, ne vitiosior
Culpa fortè laboret,
Quanto sollicitam magis
In commune bonum sedulitas manum
Poscet. Velivolas Oceani rates
Pessum vadere cernas,
Ni rectoris opem vagæ
Constantem trepido turbine sentiant.
Sic rerum Dominos exitio pari
Accersita ruina
Orco præcipitaverit,
Cautis ni fuerint Consiliariis
Usi: næ simili supplicio mihi
Tortos membra videri
Aio Ixioneæ rotæ,
Si quos destituit Consilium duces.
Non quemvis procerum fecit idoneum
Terris ritè regundis
Aut natura sagacior,
Aut fictrix animi celsior ars, cati,
Aut mos adsiduis tritior usibus.

Nam

Nam circumspice sodes,
Raris Hippolyte *ingeni*
Donis per reliquas aucte viris: quo tum
Nobis quemq; ducum nobilium dabis,
Cui cum lactis opimo
Materni sapientiæ
Accreverit cumulus? Non pote vivier
Regi ulli, vacuo consiliantium:
Ut nec fulgere Phœbo
Experti radiis datur.
Felicem patriam, cui bonus obtigit
Princeps! eximia est dos ea numinis.
Felicemq; tetrarcham
Cui sani bona pectoris!

AD ELISABETHAM JOANNAM WESTONIAM ANGLAM Virginem illustrem.

MELOS IX.

O*DIA virgo, Pieridum decus;*
Fortuna quænam te vaga Doridis
Procul Britannæ vectam ab acta
Vasta per Oceani tumentis
Profunda duxit Teutoniæ in sinûs,
Fixaq; pulchræ sede Bohemiæ
Tutam locavit? Cura Divis,
Cura hominum generi fuisti,

O erudi-

O eruditum pectus & aureum;
Quascumque in oras candidulos pedes
Unquam peregrinans tulisti
Advena. Te comitavit ultrò
Novenus ordo Castalij chori,
Chorique Præses. Mercurius lyram,
Lyræque concentûs sonoros
Attribuit tibi; Pallas artes,
Mores amœnos Gratia, Suadaque
Linguam disertam, sidereos Venus
Ridens ocellos. Quis staturam
Egregiam, roseosque vultus,
Et tincta rubris labra corallis,
Frontisque honorem, collaque eburnea
Cantare sumet? Quis polita
Indolis ingenijque acumen
Expendet aptè? Quinque tui sonis
Discrimina oris, dum loqueris catè
Scribisque doctè noliorem,
Reddere amant. Proprius tibi usu
Sermo Britannus, Teutonus, Italus,
Bohemus; & qui te celebrem facit
Latinus. Aures ô beatas
Organicâ fide quæ canentem
Et spiritali suaviter audiunt
Sonore. Felix, qui fruitur tuâ
Præsens loquelâ, carminumque
Illecebris, quibus ipsa inescas

Mentes

Mentes legentum! Me quoq; Pythio
Lepore captum vinnula detines,
Tuiq; Musis. Nunc Ephebus
Esse velim, juvenisve cœlebs;
Ambire talem (credo) Poëtriam
Proco liceret. næ mihi tu fores
Quod Polla Lucano & Tibullo
Delia, Sulpitiæ Caleno,
Stellæq; Ianthis, Claudia Surculo.
Fores, quod Elpis docta Boëthio;
Quod Laura Petrarchæ, Beatrix
Aligero, Angelica Ariosto,
Suoq; Gruntlero optima Olympia.
Dicant Poëtæ Westoniam; *quibus*
Concessa facundis potestas
Dulce caput propius tuendi.
O si locuples Iuno faventior
Largas & ultro divitias tibi
Donaret! at quid lana fluxas
Divitias loquor, & caducas
Opes? ab aulis hæ veniant quidem
Magnis oportet. Munera Cæsarum
Regumq; nonnunquam potentum
Efficiunt homines beatos,
Queis astra rident, si genesin notes;
Iovisq; sidus Lunaq; prospera
Domo in secunda lætiores
Zodiaci positus figurant.

 Verum

Verum quid isthæc ad bona pectoris,
Cultûsq; mentis, prædita queis nites?
Externa si fors comparemus
Dotibus ingenij elegantis,
Externa cedent pol melioribus.
Tuq; ipsa certè nobilis es domi,
Et gente clara procreata,
Clarior inde celebriorq;
Per scripta multò nobiliorq; eris,
Mirum in modum quæ cernere gestio
Excusa formis: quin vel ipsam
Te potius vel aprica saltem
Pigmenta fili, per graphicam manum
Delineati. Talia sed reor
Martinii (*cui calcar addo*)
Sint operæ, studijq; paulo
Post exhibendi. Pisnitij *jubet*
Maijq; *virtus hoc opus edier*
Claras in auras. Quantum in ipso
Me est, ego suspiciam colamq;
Te sidus ortum cœlitus. Interim
Signata virgo, versiculos meos
Vultu sereno sume, nostri
Perpetuum monumentum amoris.

IN POEMATIA VVESTONIAE.

MELOS X.

VIRGINEI

VIRGINEI labores
Emedullati studio VVestoniæ Minervæ,
In manifestiorem
Ite cum plausore diem. nam Genium faventem
Undiq; sentietis
Lecta vos candore cohors, vos manus erudita
Excipiet libenter.
Vos legent acres pueri, vos alacres ephebi
Nocte dieq; volvent,
Nectaris vivos latices Ambrosiæq; succos,
Melláq; delicata
Inde sumpturi, cupido delicias palato.
Quin & adultiores
His inescati illecebris, vix sibi temperabunt,
Quo minus æstuosam
Explеant de fonte sitim Castaliæ scatebræ.
Vos in honore tanto
Paginæ dulces eritis, Cæsar ut ipse magnus
Perlegere expetiscat,
Imperi curis variis quamlibet occupatus.
Nemo erit omni in aula,
Nemo in Europæ gremio, cui nitidi libelli
Non fuerint amori.
Nemo erit, qui non noscere te flagrabit,
O sapiens ELISA,
Et sagax mente valens, ante alias puellas
In viridantis ævi
Flore. Quocirca fruitor liberiore famâ

Nominis at recenti
Gloriâ; porróq; operum reliquias tuorum
Collige in unum acervum,
Ut suo prelum subeant tempore. Iam triũphus
Est tibi partus unus,
Laude cum multâ, & titulis haut tibi pœnitendis.
Mox alius sequetur,
Qui Deas supra faciat laude celebriorem.

AD EAMDEM,
Quum eam laureâ insigniret.
MELOS XI.

WEstonia Nympham, decus Anglicarum
Alloquar paucis. Mea dicta Cygne
Perfer ad claræ populosa velox
Mœnia Pragæ.
Quum subit mentem tua summa, Virgo,
Indoles, doctrina, decensq; virtus,
Et probi mores, & amœna dulci
Carmina venâ:
Par mihi Sapphus Genio videris,
Omnis aut ipsam superare Sapphõ
Arte Musæâ, & numeris Latinâ
Voce sonoris.
Euge, quid linguam memorem Britannam,
Italamq; & Teutonicam, & Bohemam?
Quam sones tu cunq; diserta, pol ver-
nacula paret.

Si canas

Si canas scitè fidibus, manuq́;
Nablium vertas duplici, putaris
Una de Musis, eadem vel ipsas
Vincere Musas.
Principes magni tibi dona magna
Offerant munes, adeoq́; Cæsar
Ipse gemmata tua cingat ultro
Colla monili;
Donec armillas, teretesq́; inaures
Donet anellos pretiosiores,
Nobili dignos habitu, tuaq́;
Lumine forma.
Quid Palatinus comes eruditæ
Insuper vati tribuam benignus?
Lauream. *Daphnæa tuos decebit*
Laurea *crines.*

AD G. MARTINIUM BALDHOVIUM Silesium de Poëmatijs Westoniæ.

MELOS XII.

C*Ommendare jubes me bona carmina*
Doctæ Westonidos. *Quod meritò bonum est,*
Se commendat idipsum,
Nec præconibus indiget.
Vino vendibili nec hedera est opus
Suspensâ; nec habet lux aliena plus

In se ponderis olim
Quam cui propria laus ea est,
Ac condignus honos. Aonides novem,
Et ternæ Charites, Pallas & Attica,
Et facundia Pithûs
Unam Westoniam penes
Conjunctis habitant sedibus; & suas
Illi divitias largiter exhibent,
Et præsignia dona
Queis (sic auguro) virgini
Nomen perpetuum conciliabitur.
Si quid nostra quiit Musa virilior
Iam perfecit abundè
Plectris Alcaici soni.
Tu qui flava colis flumina Vultavæ,
Martini Clariis addite cœtibus,
Dias profer in auras
Nymphæ tersa Poëmata,
Curæ primitias: pluribus ut dehinc
Auctor, quam penito diligo pectore,
Innotescat in oris
Almæ compos adoreæ.
Quod si præterea fortè reflagitas,
Ut quo candidulam munere virginem
Ultrò prævius ornem,
Quod sit mnemosynon mei:
Ecquid nam fieri censueris, nisi
Ut Parnaßiacâ fronde politulæ

Cingam

Cingam timpora vati
Æthernum viridantia?

AD PAULUM MELISSUM SCHEDIUM, de ELISABETHA JOHANNA VVESTONIA illustri Virgine, Georgius Martinius à Baldhofen Silesius.

MELOS XIII.

COMMENDARE *tuis* Westionum *melos*
Sumsisti numeris, quod meritæ decus
Dignum talibus ausis,
Dignum virgine nobili.
Dulce est atque pium Westonidem *suis*
Amplecti radiis: quæ genialibus,
Pravæ nescia labis
Latè fulget honoribus.
Immortale plagas nomen in ultimas
Extendit celebris: multaque pars sui
Inter conscia famæ
Sistit sidera limites;
Dum multis properat nominis ordinem
Cartis inserere, & consilio novem
Iam tunc fama sororum
Longo intacta silentio.
Rimatur querulæ Melpomenes sinum,
Arcanique adytum pectoris arguit:
Multis callida linguis
Pithûs vincere gratias.

Res est mellifluos ducere Nectaris
Succos? docta modos & citharæ sciens
Spirat balsama, flores
Mellito sipat osculo:
Tigres & comites flectere populos
Et rivos rapidos in scopuli modum
Novit mira morari,
Et perrumpere durima
Linguæ blanditijs saxa potentius.
Irritat placidi vim Zephyri: feras
Vires continet Euri,
Quo non arbiter asperi
Sit ponti potior. Cedet amabilis
Rodulphi bonitas Cæsaris, anxiis
(Quod certo auguro) votis,
Quamvis muniat invium
Curarum series Imperialium
Pectus; tergeminis & Scytha cladibus.
Tanti vota, repulsæ
Fati, nescia sordidæ.
Scandunt æthereos poplite vertices
Divumq; innumeris sollicitant modis
Summum nava tribunal
Effectum ut mereant suum.
Heroi repetam robora pectoris,
Quæ præter solitum fæminei chori
Clamant dudum animosam,
Turbato æqua negotio

Cum

Cum mens exhibituit lætificas vices.
Si format rigidam dira necessitas
Arctâ, valle columnam,
Sortiturq́; trabalibus
Et matrem & sobolem legibus, invicem
Eradunt elementa illacrimabilis
Forti pectore luctûs
Et duri faciem statûs.
Mater flebilibus conditionibus
Fingit lætitiæ commoda, nec modum
Figit spebus inertem,
Tentatiq́; laboribus.
Quam nec murmura, nec præcipites minæ,
Nec rerum variæ lautitiæ, probi
Cæpti nempe tenacem
Curvant. Illa dolentium
Ultra fas reprobat Castra: dolentibus
Quas luctus peperit feminius, cata
Partes mente redonat,
Refrænatq́; licentiam
Curarum. Interea dulcacidos lyræ
Festivè modulos Westonis *applicat.*
Et facunda ministrat
Planis carmina rivulis.
Dulci sollicitis docta periculo
Phœbi suppeditat tela Vicarijs,
Et magmenta laborat
Largæ illustria adoreæ.

Livorum arbitrium si popularium
Laxat signa suo diribitorio,
Ridet vana loquacis
Blandimi murmura gutturis.
Hoc est, nobilior quod docet indoles
Suspendes docili de scapula jugum.
Talis munere felix
Naturæ est pia Westonis.
Olim digna suæ sit patientiæ
Merces, quod placidam se gerat Invidis.
Virtus nulla colonum
Claudo deseruit pede.
Iam nec Candidulæ splendet inutilis
Conatus, nec honor dat Lalagæ locum:
Nec se nostra minorem
Vates Vatibus exhibet.
O Virgo proavis nobilis inclutis,
Seu me laude moves, seu querimoniis,
Me totum tibi raptas,
Instantem obsequiis tuis.
Quocunque egregias nomine imagines
Servas, Pindarica digna cani lyra,
Audenti mihi magnos
Mirari titulos libet.
Sed quo Musa rapis? desine grandium
Insueti strepitu pectinis explicat
Francus grandia Cignus
Qui famam sibi subjugat.


AD

AD THEODORUM RHODIUM.


MELOS XIV.

QVEI sit, tot inter Teutoniæ, Rhodi,
Claros Poëtas, Romula Graiaq;
Apprima callentes ad unguem,
Se mihi nemo hodie repertum
Ut det; Canori cui metra Pindari
Laborioso carmine, grandibus
Cordi sit ausis æmulari
Aut tragicos veterum cothurnos
Severiori dramatis alite
Periclitari? Gloria non levis
Majora tentatum ire privis
Viribus. Ut studio facultas
Fors ampla desit, largaq; copia
Rerum & loquendi; velle adeò arduum,
Saltemvè conari quid ingens
Satq; superq; valere dico.
Proh damna linguæ, numquam ita commodè
Resarciendæ! Quur perijt gravis
Medea Nasonis diserti?
Cur perijt varij Thyestes,
Regale textum? cur aliorum item
Antiquorum scripta? Geni bone,
Divine Cœlestis; quid auctor
Commeruit hic & ille, quidve

Pars optimorum, talia tantaq;
Pessum quod irent? Unus & unicus
Inventus es contra relictis
Magnus honor Rhodius *Camenis,*
Cui grande Simson *nomen, acuminis*
Sublimioris concitus impetu,
Perrupit Orchestram, choroq;
Materiem dedit accinendi
Conformia aptis tmemata vocibus,
Scenæ decorem. Macte age, virium
Robuste vates sanguinisq;
Integer, hos Genioq; macte,
Hac & Minerva. Debile me jecur
Flaccentis ævi, languidus & tepor
Venæ senilis, timporumq;
Canities imitata ninguem,
Moliri inani vi prohibent stilum
Cœlo minantem. Tu Senecam exprimas
Audenter; hinc Euripidemq; &
Æschylon, & Sophoclem, Pelasgos.
Nam trita Plauti, trita Terentij
Vinctura soccúm te celebrem antea
Fractum esse damat. nunc Latinũ
Altius ingreditor cothurnis.



PAULI



PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORUM LIBER QUARTUS.

AD
CAROLUM ZEROTINUM
Baronem illustrem, de obitu
JOHANNIS LEONCLAII
Amelburni.

MELOS PRIMUM.

QUERANE *ruptas ante diem manu*
Clothus avaræ stamine cum brevi
Tramas Leonclai? *Querarne*
Tam subitò Zerotine *casu*

Manes

Manes petitos? ah! homines sumus
Mortale semen. Mens mihi (testis es
FREHEKE) *præsagibat, hinc cum*
Ille senex abitum pararet,
Redaq́ꝫ vectum nos comites duo
Deduceremus; non fore ut amplius
Ipsum intueri post daretur.
Sic igitur calicis supremi
Post dona libata, alteri ab alteris
Digreßionem fecimus. Vt Nicer
Virum, & Palatini tetrarchæ
Bibliotheca libris vetustis
Frequens anhelat! Pallas ut anxia
Grexq́ꝫ eruditus ringitur! Angulum
Vt sæpè lustro, sedit in quo
Pervigilis, veterumq́ꝫ Grajûm
Evolvit acer docta volumina,
Spectantia ad jus & solidam Themin,
Latumq́ꝫ campum tramitesq́ꝫ
Historiæ amplivagè patentes!
Suapte dextrâ vidi ego sedulò
Illum exarantem, codicibus tribus
Excerpta, Græca Laonici
Scripta & dehinc in apertiorem
Promenda lucem: quæ, rogo, dispice
Illustrium ô flos Carole, *ne situ*
Araneoso oblitterentur,
Neve manûs alieniores

Post

Post nigra ademti funera sentiant.
Fragmenta, muni quae superant ope,
Recolligendum. Te cavente
Gnaviter, ac satagente rerum,
Hujus peribit nil equidem reor
Laboriosi verticis. Vt ferus
Te Mars fatiget, ceterosq;
Pannoniis proceres in oris;
Tamen relictas hac quoq; parte fac
Iuves Camœnas. Iam Xenophon sit
Orbus secundanas in auras,
Teq; (viden?) sibi poscit ultrò
Tutorem amicum. Quin tibi supplicat
Pia umbra Jani sive domestica
Imago defuncti, sepultum
Vt merito decores honore.
Vienna famae conscia, tot Ducum &
Regum & potentum patria Caesarum,
Æterna te ponente seros
Deinde legat monumenta in annos.

AD
CONRADUM DINNERUM, J. C.

MELOS II.

FELICE natum credideris polo
Dinnere, si cui Cecropiae dedit
Favor Minervae pingue culto
Ingenio superare vulgus.

Non

Non plebis illi plumbea vastitas
Adhæret, acri non ratione eget
Mens celsa, nec nescit salubri
Prædita consilio Noesis,
Præponderatis perbenè lancibus
Uti. Tametsi te teneris ita ab
Annis Promethæo serenum
Dædala purificavit igni
Et Sole Pallas, nil ut omiserit
Vivacis in corde egregio facis,
Oestrivè, nunc sublime rerum
Prendere culmen aventis ultro,
Nunc & coævos vincere amantis, &
Promtum incitantis pectus ad omnium
Scientiarumque artiumque
Nobilium genuinum amorem:
Tuopte nisu te tamen arduos
Virtutis ocres (usque adeò improbus
Labos honori est) contigisse
Percupidum & stimulavit ardor.
Hic æstus altas scandere Delij
Ad urget arces templaque numinis:
Hic æstus inflammat Deorum
Concilia indugredi suprema,
Celsumque in astra extollere verticem,
Et si quid astris altius. En habes
Quod gloriere, & nos habemus
Quod meritò tibi gratulemur,

DINNERE

DINNERE, vatum gloria. Quod nisi
Te fervor ingens utile ad hoc opus
Et Phœbus accendisset olim;
Non tibi parta foret laborum
Condigna merces palma & adoreæ
Perennis augmen: nec tibi gratias
Viviq; defunctiq; Graij
Cum Latiis agerent Poëtæ.

AD NICOLAUM REUSNERUM Leorinum JC. & P. L.

MELOS III.

REUSNERE claris addite vatibus,
Idemq; sacræ fama Themistyos,
Quid ergo consultas Sacerdos
In medium? quid in arboretis
Sedens, amœna ad litora DanubI,
Suades agendum? scilicet optimum est,
Et ius, professoresq; juris
Rite sequi, placidisq; sanctas
Haurire leges auribus, at viam
Rectè docentum non (ut ubiq; fit)
Pravè retorquere, atq; justas
In dubium revocare normas.
Præscripta veri regula quæ Deum
Agnoscit auctorem, ante alios locum
Tenere debebit supremum:
Deinde sagacum hominum reperta

Partes secundas. at neque se DEO
Mortalium gens subdere amat, neque
Parére jussu æquiorum
Cœca sui, & reliquis ruendi
In cæcitatem causa. Adeone proh
Simus tyranni in nosmet, atrocius
Quam belluarum sævientes
Sæcula? qua regione pacem
Coli putandum est? quæ fora litibus
Vacant remordentum? in quibus oppidis
Fraterna fixam corda sedem
Unanimi posuere mente?
Bellorum abunde est, exsulat heu quies!
Quis castum olivæ pangere termitem
Ausit? quis hostiles tumultus
Frangere, & horribilem furorem
Sedare Martis? Ceu subitis vorax
Impune flammis, qua rapitur Noto,
Ignis per incensas aristas
Obvia depopulatur arva,
Messem favillis mutat inanibus
Et spem colonis præripit: haut secus
Discordiárum fax nocentum
Fomite perpetuante gliscens,
Cives & urbes innumeri solet
Mactare damnis. Cedite, cedite
Incendia augentes manipli,
Nec nisi funereos struendi

Rogos procaces. tuq; adeò furens
Manus latronum hinc Teutona viscera
Modum exacerbandæ Megæræ
Pone tribunitijsq; linguis.
Fas tandem iniquæ mittere jurgia
Contentionis: fas, studium boni
Æquiq; propagare, & almæ
Iusticiæ stabilire regnum.
Tu restitutor priscæ reciprocæ
Reusnere *sortis, quà pote, devoca*
Astræan in terras relictas,
Ætherio fugitivam Olympo.
Atqui futurum est, auguror, ut mali
Malos avaro gutture devorent,
Bonis respirare detur
Caussaq; pressa diu triumphet.

AD
JOHANNEM MORETUM
Virum Ornatiss.
MELOS IV.

TRISTIS *profectò nuncius heu meas*
Percußit aures, & iecur ultimum
Consauciavit permolesto
Vulnere rumor acerbus ille,
Quo fluctuosus Scaldis *inhorruit*
Morete *primum, dein vaga cornua*
Rheni, *recellentisq;* Mœni,
Post etiam Nicer *inter altos*

Volutus ocres: cujus ad aggerem
Postus reclivem, fundito lacrymas
Luctu refertas, funebremq;
Pallidus Ortelio *cupressum*
Incendo nigris frondibus. Aggemit
Mæstum canendi plurima tibiæ
Dryas, Napæarumq; juxta
Turba dolens, sociæq; Nymphæ
Cœtum novenum non sine Cynthio
Planctum videntes edere maximum.
Montes, supinatæq; valles
Ingeminant fremitus acutos,
Clarumq; deflent Ortelium *diem*
Obisse summum. Non adeò senes
Is defatigarat paterna
Limina, detrieratq; cursum
Fatalis horæ: Parca sed invidò
Stamen diurnum pollice discidit
Noverca vitæ. Mors sequuta est
Frigida, flebilium querellarum
Et næniarum caussa potissima.
Ter mille si fors (autumo) patriæ
Hostes atroces occidissent,
Haut animæ fuerint eorum
Tanti, cadentum strage piabili,
Ruina quantum pectoris unius
Ploranda: quod quonam retrusum
Posteritas tumulo reponet?

Lustra

Lustra Theatrum, *vastaq; machina*
Terrestris infra scilicet ac suprà
Complexa Thesaurumq;, *grande*
Arte Geographicâ paratum
Laboriosè, plurimaq; insuper
Collecta magnâ cum vigilantiâ:
An his recondemus perennes
Ortelium *celebrem per annos?*
Frustra tegetur. Vivus adhuc is, &
Nobis superstes permanet, ac dehinc
Pol permanebit; donec orbis,
Donec in orbe capace durant
Res universæ, conspicuissimis
Splendorem adeptæ luminibus viri:
De Sole qualem sortiuntur
Sidera purpurei nitoris.
Tu doctiorum stella micantior
Morete cura, quæ superant boni
Auctoris, emittenda posthac
Ætherias monumenta in auras.
Tali labore & munere præstito
Insigniorem tu quoq; postero
Famam relaturus sub ævo,
Quantum animos relevatis ægros!



MELISSI
AD
DANIELEM VECHNERUM
Aurimontanum; quum ipsum
Laureâ Poëticâ ornarem.

MELOS V.

SI quis Minervâ præditus optimâ
Et singularis dotibus indolis
Nactus magistrum est liberalis
Ingenij, capitisq; docti;
Ad disciplinas rectè & in aureas
Formandus artes, mirifico videt
Augere profectu fidelem
Pectoris occipitisq; cellam.
Capacem eorum, quæ teneris puer
Sollers ab annis imbibere adsolet
Frequenti in usu, seduloq; exercitio vigiliq; curâ.
Ad talis orsûs augmina maximè
Provinciales profuerint Scholæ,
Et oppidatim constituta
Gymnasia, Aöniis Camenis
Sacrata, semen multiplicum artium &
Scientiarum; non sine præmio
Stipendioq; elargiendo
Munificê in capita erudita,
Quorum referta est clara SILESIA,
Patrona Phœbi, curia Palladis,

Tutela

Tutela Cyllenî, novemq́;
Præsidium, atq́; trium sororum
Æterna nutrix. Aureus hic Deus.
Mons præter omnes celsius eminet,
Altor Professorum hospitalis,
Discipulum probus educator.
Utruq́; præstò est gratia Principis,
Regit Lyceon Feigius, arbiter.
Æqui, sacratarumq́; legum,
Consul item moderatus urbis.
Prorector aptas temperie utili
Laubanus horas distribuit suis
Classesq́; collegis docendo,
Adsiduaq́; operâ juventam
Ritè instruendo. Tu studio pari
Te diligentem in munere classico
Vechnere præbens, eleganti
Proximus ire flagras vetusto
Stilo, virentes Thessaliâ comas
Cingi corollâ dignus, & insequi
Vestigia æquo calce certus
Sprottavij intemerata vatis.
Antiquiorum scilicet æmuli
Rectè loquentum, seu Latio juvet
Sermone, seu Grajo placere,
Nec sine laude sui, suaq́;
Gentis; propritim cui (quis enim neget?)
Peculiaris debilis est honor,

Si prompta

Si promta complures alumnos
Nutriit in studiis honestis
Maiora fama nominis. Ergo age
Ætate florens mi Daniel *cape*
Hoc pignus, adsuescens vocari
Cæsarea vice Laureatus;
Biniq; dein cum fratribus arma, qua
Geratis ipsi vestraq; gens, mane.
En jam modò illis explicatas
Purpureus decor addit alas.

AD MARQVARDUM FREHERUM V. C. F. JC. & Consiliarium Palatinum.

MELOS VI.

FREHERE *non fuerat satis*
Scripsisse de Fama libros,
Cujus ala præpete
Vectus per Europam volas:
Nunc addis hisce gloriam, &
Gloriæ contermina.
Sic eruditi nominis
Existimator amplias
Et tibi laudem & tuis,
Scandens adusq; sidera
Iovis ciborum particeps,
Nescius fato mori.

Nam

Nam vera quorsu- gloria
Et fama, nisi per ardua
Culmen astrorum attigant?

AD
JANUM GRUTERUM,
in dirigendâ omnium Antiquitatum & Inscriptionum farragine occupatissimum.
MELOS VII.

LABORIOSÆ pondera sarcinæ,
Gravemq; molem viribus imparem,
Grutere *suscepisti, ferendam*
Vix humeris (ut opinor) æquis:
Atlante ni quo forte vel Hercule
Suffulciaris membra, Deusve quis
Adjutet ausum, dædalive
Mens cata & ars teres Archimédis.
Atqui vetustas marmorum & antium
Inscriptiones, quotquot adhuc super
Comprendere uno fasce, & una
Congerie serieq; tentas;
Sed distributis ordine classibus
Ad quas referri singula debeant
Dicata vel sacrata, Qui te
Non alacrem adsiduumq; cernit
Apollo? quæ te non vigilem videt
Diana? Noctes atq; dies tibi

Sudat cerebrum in literarum
Commoda, & uberiora messis
Largè metendæ farra. Licebit huc
Inserre falcem cuilibet, & penum
Augere frumenti maniplis,
Liberiusq; frui paratis
Per Smetii *illam sollicitam manum,*
Tritumq; callem. Pectoris ut boni
Ac liberalis candidiq;
Divitias tot opumq; gazas
Haud invidendas ducere posteris;
Et hujus ævi præcipuè viris,
Antiqua rerum vindicata
Delicias & amœnitates
Ratus supremas! Pleraq; gentico
Sint more quamvis scriptaq; dictaq;,
Æterna durant, optimeq;
Pro meritis sua dona præstant,
Divis honorem, Principibus decus,
Bellis triumphum, conjugibus fidem,
Heris amorem. Miror ipse
Ante alios, facioq; pluris
Tales Latinùm relliquias supra
Quodvis vel aurum, vel diademata
Regum vel externo orbe gemmas
Et lapides pretiosiores,
Et margaritas. Tu nisi sentias
Grutere *mecum* (Scaliger *hercle enim*

Prælu-

Præluſtris auctor, Lipſiusq;
Inclytus hac in opinione eſt)
Quid attinebat ſumere tam diu
Tantum laborem, tantam operam, probè
Recteq;, & exactos ad ungues
Quæq; ſuis poſuiſſe metis,
Locisq; fixis? quæ tibi præmia
Remunerari poſteritas amet,
Ingrata ne ſit, immemorve
Muneris exhibiti benignè;
Niſi ut beari te ſtatuâ aurea
Dignum æſtimarit. Lemma ſit addita,
Quod cuncta cunctorum priorum
Lemmata in ære recente vincat.

AD
JANUM DOUSAM.

MELOS VIII.

SALVE Douſa, *meæ gloria dexteræ,*
Arctâ quem teneo jam quaſi compede
Inter brachia vinctum,
Amplexuq; reciproco.
Quæ fortuna duos junxit in Anglia?
Quis dexter Genius? quod Genio favens
Exoptabile ſidus?
Ut res hæc animo volup!
Ut ſuave eſt, oculos cernere amabiles!
Ut dulce eſt, parili colloquio frui!

Tecum

Tecum est filius unâ,
Vivax ingenio puer,
Quem dignata suo Melpomene sinu
Artes Pieridum condocuit bonas,
Romanoq; disertum
Vatem carmine reddidit.
Te nunc utibilem pro patriæ focis
Legatum Thamesis, gratus oloribus
Amnis, deveneratur:
Te Regina Britanniæ
(At quæ Diva?) suæ lumine Gratiæ
Iucundo, & rosei roris odoribus
Circumfundit, aprico
Ridens ore; velut polo
Sudo purpurei veris amœnitas
Conspectum recreat, lene Favonij
Aspirante teporis
Aurâ. Iam sibi Belgium
Gliscentes animos sumit alacrius:
Iam pubes Batava, & nobilitas jugo
Duro pressa Tyrannûm
Libertatis avet frui
Eluctante bono. Iam quoq; cornibus
Rhenus tergeminis latior occupat
Tutis ostia Nymphis,
Bellum exosus Ibericum.
Haganæ teneris aurea virgines
Dudlæo manibus dona parant duci,

Sertis ex Amaranti
Textis flore domestico,
Lugdunum *unanimi te simul omine*
Exspectat reducem, non minus in tuam
Quàm Leiscestrida *laudem*
Æternum meditans epos.
Ah tu ne propera tàm citò, Nordovix:
Ut linguæ saturer flore tuæ, moram
Lentam interjice. Fors &
Mel gustasse novum juvet.

AD NEREA PRO JANO DOUSA Nordovice, ex Angliâ in Belgium navigante.

MELOS IX.

FRequens amœni cultor Apollinis,
Comesq́; Musarum, & Charitum lepos,
Strictim peractis DOUSA *rebus*
Vectus aquâ Thamesis secundâ
Britanniæ urbem deserit inclitam,
Valeq́; magnæ dixit Amazoni;
Porrò subintraturus altas
Oceani refluentis undas.
Stantes in aucti marginè fluminis
Fidi sodales, ipse, Rogersius,
Unàq́; Lislæus, *Poëtam*
Prosequimur satagente voto.

Nereu,

Nereu, Deorum pervetus æquoris
Antistes, almæ Tethyos ô genus;
Si Dousa *vestram luculento*
Carmine progeniem bearit,
Si fuscinâ te, & Dorida cyclade,
Si filiarum cœtum Hyacinthino
Donavit ornatu, sacramq́ue
Piniferâ cumulavit aram
Silvâ litando: deniq́ue si pius
Ab hoste vexatam in patriam exstitit,
Priscamq́ue Libertatem *amavit*
Civibus indigenisq́ue sarctam
Tectamq́ue servare omnimodis: age
Navem guberna tutemet, Æolo
Ventos ministrante expeditos
Fluctivagis equites in undis,
Retrò relicta Francide tertiâ.
Procella nullo turbine sæviat,
Hiems facessat, saxeæq́ue
Grandis impetuosus imber,
Aër sereno sidere fulgeat,
Album sequatur candida nox diem,
Quâ Sole, quâ Lunâ meante
A nebulis vacuâ exoletis;
Donec solutis tenta rudentibus
Gens dura nautæ lintea liberent
Impunè, Portunoq́ue votam
Sic faciant niveam bidentem.

Hoc

Hoc impetrato sospes ubi domum
Ad Nordovicam *cum patre Ianipor*
Arcem, Batavorum smaragdum,
Appulerit genitricis ardor;
Gratas & ipsum figere postibus
Notas videbis, perpetuo notas
Tenore mansuras in ævum,
Dum scopulos vada salsa plangent.

AD
JANUM DOUSAM
NORDOVICEM.
MELOS X.

GRATIIS *amice* Dousa, *cœtuiq; Musico,*
Anne Teutonum fretum
Diis faventibus marinis
Es remensus, ad Penatium illices redux focos
Ultima ex Britannia?
Sospitisne membra & artûs
Lipsii *datum est videre? non ob illius caput*
Cura nos edit minor,
Quam tuiipsius. Profecto
Intimis mihi sedetis in fibris amiculo
Vos amo medullitùs;
Simplici piaq; mente candida præditos;
Qua fuisse proditum est,
Queis Remive Cecropisve
Olim in urbe, pulpita inter ac voluminum strues

Lætæ

Læta ducere otia
Contigit, potente Cræso &
Aureo Midæ nitore pol beatioribus.
Proprium sit hoc tibi
Care Dousa, *propriumq;*
Lipsio, *mihiq;, si nec absonum à fide integrâ*
Nec piaculi reum
Culpa publicarit ulla.
Recta mens, tuiq; amore plena, nesciens doli
Quin tibi probanda sit,
Ambigamne? quin probanda
Sint utriq; aperta cordis, hæsitem? Prius polo
Cynthium, atq; Cynthij
Dimovere tu sororem,
Sis potis, gemellatiq; fratris æqua sidera;
Quamdè separarier
His meis feram medullis
Igneas faces amoris. Uror urot admodum
Æstuoq; pernimis,
Teda sulphurata qualis
Ardet, aut picata nocte lampas, alta flatibus
Mutuis Etesiûm.
Tu velim, sodalis, hæcne
Sopiatur ipsa flamma, fomitem entheum super
Ingeras, perennibus
Vividum usq; & usq; flammis.



AD CON-

AD CONRADUM RITTERS-HUSIUM.

MELOS XI.

NOSTROS *excutias si numeros, ferè*
Nil Conrade *aliud quam thalamis super*
Decantata videre est,
Nil &, quàm tumulis super
Deplorata mele. Flagitat haec piae
Mentis maestities, ob lacrimabilis
Furvum jus Libitinae:
Contrà autem illa Lubentiae
Poscit laetitia, & lex Amathusii
Praescripta graphii candidulis notis.
Utrumcunq; jubemur,
Sensus induimur pares
Rebus propositis. Quare ego gaudeo
Tecum, quando Helenen Theodosiam tuis
Iungi intelligo taedis,
Gente Staudneriâ satam;
Quae fratres quot habet, tot quoq; lumina
Doctrinae. Themidos percelebri gradus
Insignivit honore
Unum adfinibus ex tuis.
Vir doctus genitor, praeco sacri fuit
Verbi, quá gemino dividit alveo
Urbem Norida planae
Pegnessus pater insulae.

Illis deinde loci, quâ tua Tyndaris
Diversata lubens, per quadriennium
Præfulgentis in aulâ
Muni lintea principis
Demandata suæ curæ habuit: Vigil
Noctu, nec studij desita sub diu:
Tantum cara, suæq́ue
Dilecta officijs heræ,
Quantum nec teneri dixeris Herculis
Matri flavicomam vixe Galanthida,
Nec Niphen Hyalenq́ue
Latoæ comites Deæ,
Pallatina domus Sulzio ab oppido
Nunc Altorphiacos suspicor ad lares
Hanc dimiserit ægrè
Iussa strenuam & utilem,
Quæ vel nictus avens innuat, exsequi.
Sed matura viro virgo ligarier
Adstringiq́ue tenacem
Zonam denegat arctius.
Gustandum liciti philtra Cupidinis,
Et quæ præbet Amor dulcia. Tu quoq́ue
Vix compescere linguam
Rittershusiade *queas,*
Quin libes roseis mella fluentia
Ex labris Helenes. At mihi contrahe
Sodes fræna parumper
Adfectumq́ue animi vie

Loro,

Loro, præcipitem labier impetu.
Rerum temperies optima. Nam quoq;
Ori mel fit amarum,
Si quando nimium comes.

AD DAVIDEM PAREUM SILESIUM.

MELOS XII.

NATUM *labori quis neget impigrum*
Acremq; linguâ, perspicuo & stylo
Laudabilem Ursinum *fuisse;*
Terribilemq; adeò leonis
Instar timendi, si quid erat minùs
Factum decenter? mens generosior
Plerumq; vergit pronam in iram
Fervidiùs, facilesq; motûs
Capit lacessita. Hunc tamen avium
Non ulla raptare ambitio occupat,
Nullusq; fastus, nulla pompa:
Ceu rapiunt malè demagogos,
Præturgefactos rumina. Novimus
(Nam sexti in anni mensa eadem rotam,
Idemq; victus, potus idem,
Me lateri sociârat ejus
Viciniorem) qualis in artibus
Quantisq; cunctis exstiterit. Scit &
Dobbïnus, *& scit* Witekindus
Iam senior, Rimedonciusq;

Qui sceptra parent gymnasii, quibus
Linguis virentem, quo moderamine,
Quâ lege, quo candore, quaque
Imbuerit pietate pubem,
Domus alumnam, quæ sapientiæ
Appellitatur nomine. Tuque item
PAREE *nosti (quippe plures*
Discipulum docilem undiquaque
Videre aristæ) quam stabilem ille se
Ob veritatis dogmata seriæ
Sæpè antagonisten propè unus
Præbuit, & male sentientes
Probè erudivit. Quid referam, arduis
In rebus ejus consilio utili
Sanoque, nec rarenter, altus
Ut steterit procerum senatus
Et ipse princeps, Simmerium genus?
Næ multa multi; maxima maximi
Debentque debebuntque tantæ
Ingenio meritisque frontis.
Potens superbi jure Silesia
Doctore tanto, Breslaque verticem
Effer decorum tuque aperta
Cornua tolle Viadre in auras,
Nec tu duello, forte itidem caput,
Succumbe David, *si Golias tibi*
Insurgat unus fors & alter:
Ac moveat temerè arma contra:

Quin

Quin sancta sancti scripta viri adsere
Valente dextrâ; quoq; jubet pius
In orthodoxâ sanciendâ
Relligione fideq; fervor,
In plana profer. sic tibi Numinis
Sentire grandem mente potentiam,
Sic detur adversam cohortem
Vincere semper ovante pennâ.

IN APPARATUM EVANGELIORUM R. Patris Johan. Servij.

MELOS XIII.

VNDE *hæc malorum Gargara Belgio,*
Sinuq; mundi quadrifido sedent?
Unde impiato dira fastu
Hæresis imperium propagat?
Lerna hoc malorum protulit omnium,
Quæ fronte ferreâ, pectore plumbeo,
Protervitas *illoto oberrat*
Templa pede, astriferasq; sedes.
Mulctralia inter volvere mysticas
Non erubescit fœmina paginas:
Inter colum fusumq; & inter
Iam legitur calathos Propheta;
Ille, ille, Pathmi qui latebras colens,
Solus revolvi vidit ahenea

Cœli volumina, & Deorum
Fata oculis bibit auribusq;.
O quàm profundè Democriti in puteò
Immersa; quantum dißita mentibus
Est veritas nostris, sub hujus
Quæ latitat focus Sibyllæ.
Avisq; rara est: rarior albulo
Corvo, nigello rarior est avis
Cygno, cui non caspitarit
Hîc animus, neq; lapsa mens est.
Maleominatam Pieridum alitem
Fugate Corvi; devolet impigris
Spes alma pennis, & benignè
Πάντα καλῶς moduletur ἔςαι.
En fila præbet Dædala Servius,
Quæ Pallas olli conglomerat sacra;
Fila aurea, aureoq; Phryxi à
Vellere, de superûm officinâ.
Quacunq; cæcas historiæ vias
Inis sacratæ, corripe sedulus
Hæc fila: nusquam deviabis;
Fila vias animata narrant.
Perge eja! textus per labyrinthicos.
Procul periclum: nunc dubio procul
Prognata partu bellua Orci
Hæresis in stabulum refûgit.
Fallor. resistet: victima sed tuo
Futura ferro. fervidus emicas.

Hîc præ-

Hic præliari te docebit
Tela liber generosa cudens.
Quantis senectus fructibus uberat
Magni senectus vivida Servii,
Non languido torpens veterno;
Sed vegetos acuens lacertos!
Nullum hic sacellum Murcia jactitet:
Sua hic Labori sunt penetralia:
Virtutis & sacrarium hic est:
Hic adytum Mariæ Deoq;.
Utriq; notum est, verius, Indiæ
Hæc me Camœna pangere Apollinis:
Cujus fenestratæ æstuanti
Auriculæ studio vaporant,
Tuis triumphum dum auspiciis legit,
Celsa in Quadriga *ducere* Veritas
Quem gaudet, orbe gratulante
Atq; tuæ faciente laudi.
Dum cernit, nunc dura Quaternio
Pugnata ut olim prælia molliat,
Nec jam procacis pullulare
Semina dißidij pavescit.
Eja! eja! sertis blanda recentibus
Vincite amœnum gaudia verticem:
Sparge, inde, flores, sparge odores,
Et medicos jaculare succos.
Novo ut virore, & floribus ut novis
Herbescat acri canities seni.

Vernet

Vernet senecta frondeatq;
Nestoreos viridis per annos.
Quicumq; dium nunc aditum cupis
Evangelij; per penetralia
Obambulare, clavis isto
Aurea porrigitur libello.

IN NUPTIAS
Sereniss. Jllustrissimiq; Principis
Electoris
FRIDERICI IV. COMITIS
Palatini ad Rhenum, Ducis Bojorum;
& Jllustrissimæ Generosissimæq; Heroinæ
Loisæ Julianæ Principis Uraniæ,
Comitis Nassoviæ.

MELOS XIV.

STROPHE I.

VENIT *ecce venit serenißimi*
Principis FRIDERICI *thalamicula,*
Uranium *genus.*
Reboant Palatinûm *juga collium*
Mugiunt valles & antra fremunt
Lætitiâ & gaudio.
Date mi date non citharas
Lyrasq; leves; sed lituos,
Sed tubas, sed tympana
Castalides Musæ.

ANTI-

Tener auribus obvijs haud placet
Halitus. Iuvat ingentibus animum
Harmoniis quati,
Resonante perculsum crepitaculo.
Publicos plausus sequi volupe est.
Iam capimur grandibus;
Mediocria vix aliquem
Habere locum dædala mens
Augurat. Respondeant
O Cupido vires!

EPODOS I.

Nuptias propediem sollemnibus
Absolutas ritè cæremonijs
Cestigera Venus & Cinxia,
Non sine Gratiarum
Lepóre summo, dare postquam
Destinarant, DEÆ
Conjugales;
Ita enim in fatis erat,
Rectorq; poli utriusq;
Ita constituerat fore,
Ut duo pectora simul
Vinculo vierentur
Indissolubili:

STROPHE II.

Pia Religio Iovem stans prope
Sic loqui infit. Amor, prolificus Amor
Causa quidem est jecur

Rapido igne succendendi, & idoneis
Pectus urendi incitum facibus;
Unde avidos copulat
Animos sibi mutuiter
Fide parili ducis Hymen,
Sanctio sanctißima
Pro genere humano:

ANTISTROPHE II.

Sed enim nisi corda flagrantior
In DEUM pietas torserit, & idem
Nexibus integris
Similis ligamen fœderis in fide
Orthodoxâ conjugaverit; est
Iuppiter, est, ut tibi &
Mihi non benè constet honos.
Ego una, ego sola unanimi
Vincio obstringoq́; cor
Conjugibus nodo.

EPODOS II.

Ecquid est vel erit in mortalibus,
Quod voluntates magis contrarias
Distrahere queat, ac cultuum
Differitas sacrorum?
Aratrum amat recta guberna.
Taurum inæqualitas
Sulculos haud
Benè protélo trahens

Ducit.

Ducit. Rata nulla certè
Specitur benevolentia,
Alter ubi alterius ad
Separem nil nutum
Confert, quod utile est.

STROPHE III.

Equidem vehementer hoc approbo
Comparem sibi quod talem Hamadryadas
Inter amabiles
Iuvenis Dynastes legerit unicam,
Quæ pari cultu sibi patrium
Deveneretur DEUM;
Eademq́ue, nimis fatuæ
Superstitionis vacua,
Sentiat secum piè,
Freta tuo instincto.

ANTISTROPHE III.

Cumula veris ergo, largitor ô
Commodißime, tantis beneficiis
Rhenigenam ducem,
Thalamiq́ue consortem placidißimam,
Liberos ut ritè progenerent,
Pignora casti tori,
Genitorq́ue senex juvenem
(Sed eximium conspiciat
Filium vestigio in-
Sistere patrio.

EPODOS

EPODOS III.

Floreant igitur ambo, floreant.
Sit pater fecundus, & fecunda sit
Mater, & alacriorum creent
Robora filiorum,
Iacobidarum egregiorum
Qualia antiquitus
Sæcla vixe
Memorantur. Luminum
Æquet numerum astricorum
Locuplete serie genus,
Teutonicique Pelagi
Grumulos arenarum
Vincat scatentium.

STROPHE IV.

Dea finierat. Sator masculæ
Gentis annuit, & dicta rata habuit.
Nec mora, Cypridos
Famulæ atque Iunonis, Charites simul
Apparant lectum rosis nitidis,
Et niveis liliis
Hymenæon honorificum
Canens Erato, Pindarici
Æmulatur barbiti
Pandere mensuras.

ANTISTROPHE IV.

Numeris gravioribus Pythius
Arrigit Chorus aures. terete bibunt

Au-

Aure etiam sonos
FRIDERICUS insignis, generosaq́;
JULIANA, & metra mirificis
Excipiunt plausibus.
Veneris puer ad faciles
Salit modulos, ebriolum
Pæne fingens, & reor
Cretica gustarat.

EPODOS IV.

Eugenes epos acutum verberans,
Postero lauti die convivij
Corda cata procerum Teutonum
Detinuit sonoro
Et entheo commodulatu.
Quippe cantabat, ut
CASIMIRUM
Patruum Sponsi ferus
Traxisset in arma Mavors,
Laceræ auxilia Galliæ
Suppetiasq́; trepido
Perquàm idoneè latum
Pro rege, pro grege:

STROPHE V.

Siquidem pietas Tyrannûm dolis
Pressa fædifragis, pæne perierat;
Hanc nisi fortior
Animosiorq́; heros, pater illius,
Filio misso bis ad Ligerim,

Adseruisset.

Adseruisset. Viget
Hodie utriusq; fides,
Viget studium, cura viget
Atq; diligentia,
Et labor exhaustus.

ANTISTROPHE V.

Etiam Guilielmum *atrocissimus*
Hostibus meditatum fera cecinit
Prælia, bellaq;
Batavo sub amfractu, & regionibus
Huicce vicinis, patrem Uraniæ,
Nassovij sanguinis:
Duce quo stetit integritas,
Stetit probitas, & pudor &
Castitudo, sartaq;
Tectaq; majestas.

EPODOS V.

Rhenus atq; Nicer undans alveos
Ante mutabunt suos, quam gloria
Famaq; potior illustrium
Principum in orbe lato
Silentiis sive tenebris
Obruatur. Tacet
Lingua vatum,
Tacet auctorum stylus;
Laudem lapides loquentur,
Hominesq; vitij feræ &
Bruta animalia malè

Arguent

Arguent; uti perstet
Invicta veritas.

STROPHE VI.

Animum bone Dux meis admove
Vocibus. tibi fac lætitia fibras
Exstimulet nova;
Novus ardor incessat tibi pectora.
En habes nuptam ad latus, referentem
Andromeden Persei,
Atalantam & Hippomenis,
Piamq; Ariadnam Bromij,
Aut sodalis Thesei
Ischomachehen diam.

ANTISTROPHE VI.

Vt amœna nitet decens lumina!
Non ita astra refulgent face gemina
Tyndaridum. Ut labra
Rubet ac genas! certare corallus
Poßit. En cervix nivem superat!
Quid loquar, ut melleo
Madefacta liquore catos
Diserta sonos lingua tibi
Fundat ubertim fluens
Instar aquæ vivæ?

EPODOS VI.

Ipsa tota tua nunc est atq; erit,
Portus hæc & aura, navis hæc tibi est,
Ancoraq;, simul & carbasus.

Spes

Spes cluet hæc juventæ,
Fidelis & cluet senectæ,
Unus hac unicâ
Acquiesces.
Tibi quicumq; accidat,
Æquam feret illa partem.
Superis igitur intimo
Superis igitur intimo
Perpetuas memineris
Corde agi referriq;
Debere gratias.

STROPHE VII.

Populi tibi sunt & urbes datæ,
Quas regi licitis legibus opus est,
Ireq; debito.
Opulentitatem ditior addidit
Plutus, & census superbifico
Principe dignos; item
Solio residere tuo
Vt absq; metu ullo valeas,
Annuit rerum sator,
Qui tibi custos est.

ANTISTROPHE VII.

Fatearis oportet, hæc maxima
Esse commoda. Sed compare careas,
Quid tua vita sit,
Nisi imago vana umbellaq; transiens?
Somnium vita est sine auxilio

Conjugis.

Conjugis. at ne fiet
Acorve aloes, aut species
Fellis, ultra cœlibem
Vivere in his oris.

EPODOS VII

O tuam illam & ego post menses novem
Conspicer nuptam esse prole auctam nova,
Quanta ibi tripudia & carmina,
Quot celebres ovatûs
Forent, apertiq; triumphi!
Tu pater scilicet,
Illa mater
Vocitaretur. Diem hunc
Phœbi properent jugales
Celeri pede lacessere,
Vt solido solidius
Gaudeamus haud leva
Iunone gaudium.

AD ANIMAS FRIDERICI III. ELECTORIS & JOHANNIS CASIMIRI ADMINISTRATORIS, Principum Palatinorum.

MELOS XV.

VOS Casimiri, *vos patris optimi*
Manes, quietus seu sinus Abrahæ,
Seu vos beatorum recessus,
Seu Paradisus habet amœnus;
Gaudete nobiscum, atq; hilares date
Plausus ab alti vertice tegminis,
Stellas vehentis clariores
Et solito radiantiores.
Lætamur omnes, quotquot idoneam
Sumus precati ducere conjugem
Posse hunc nepotem Fridericum,
Unum adeò genus unicumq;
Stirpis vetustæ. Contigit en ei
Fatalis uxor, copula pectoris
Sperata divinæ amoris
Fomes & ingenui pudoris
Morumq; imago vera decentium,
Propago gentis. Relligio en quoq;
Avita propagatur usq; &
Usq;, per innumeras & urbes,
Et orbis ampli per spatia extera.
Id hercule unum est pro meritis, quibus
Insignis Heros, vivus olim,
Teutoniam adficere atq; Rheni
Dignatus oram es, non sine filij
Hoc promoventis ritè nogotium

Nisu;

Nisu; fatigatum supremo
Sicut Atlantæ labore cœli
Subfulsit Alcidæ insuperabilis
Immane robur. Quo magis ambo nunc
Gaudere debetis, beatæ
O animæ, Telamóna firmum
Tantæ ferendæ moli humerum tenus
Succedere, & vos vestraq́ pondera
Et facta virtutesq́ longo
Perpetuare tenore in ævum.

AD FRANCISCUM HILDENSÆMIUM H. F.

MELOS XVI.

ANTIQVA *legis formula Romulæ*
Vetabat olim, Ne Patribus foret
Connubium *cum* plebe. *quàm tu*
Rectè hodie sapis, ô amice,
Plebeia cui non nupserit, infimi
Pars spreta vulgi: quanquam opulentiæ
Plerîq́ tempestate nostrâ
Divitiisq́ inhiant caducis.
Parente docto natus, & ipsemet
Francisce *doctus, non tibi comparem*
Parente docto procreatam
Auspicio legeres secundo

Flammâ inchoatâ; quam Venus aureo
Praventilavit læta cupidine, &
Lunæ serenator favillâ
Halitus uberiore fovit!
Pater cluebat consiliarius,
Socer cluebat. laus sua utriq; adhuc
In Brandeburgæo senatu.
E quibus Hippolytum fuisse,
Et Goldgbecci incognita nomina, aut
Futura credam? Præterea duos
Adsciscis adfines honori,
Chemnitium columen Synedri,
Vestro adprobatum consilijs duci
Itemq; Cunonem, Ausonij catum
Iuris professorem in Lycéo
Franciaco, Viadrus quod amnis
Vineta propter patria concitis
Substringit undis. O ter & amplius
Lucem tibi Hildensæme faustam,
Quæ facilem tibi Margaritam
Adglutinarit fœdere mutuo!
Tu qui mederi suetus es exteris
Domesticisq;, & principum aulæ,
Ipse etiam tibi nunc mederis.
Nam quis saluber sit Podalirius
Qui sauciati vulnera pectoris
Non sanet ipse, aut quam requirit
Cura animi medicinam omittat?

Vive

Vive ergo felix conjuge cum tuâ
Sentiq; mentem & vota mea in torum
Tuum, caputq; indemne; pro quo
Ipse meum caput haud verebar
Contra furentis crimina Mevij
Hostesq; nostros, Euganeo in solo
Opponere, & sanctum æquitatis
Ius & amicitiæ tueri.

AD
MELIOREM LAUBANUM SILESIUM
MELOS XVII.

CARMEN *venustum, & elegans,*
Satisq; prolixo pede,
Amoris indicem tui,
Laubane *juvenis, in senem*
Legi libenter. Accipe
Hoc invenustum, inelegans
Contra, pedisq; perbrevis
Epigramma. namq; gratias
Tibi est agendum versibus:
Sint impoliti qui licet,
Tamen politos duxeris,
Ut ex monetâ qui meâ
Sint testimonio omnibus,
Omnes amare me bonos,

Bonis amicos & probis.
Quos inter hoc Melior *clues*
Quo Musa doctius facit
Poëma & elegantius.

AD

ABRAHAMUM SCULTETUM & MELIOREM LAUBANUM, SILESIOS.

MELOS XVIII.

QVIS *ardor, aut qui mutuiter flagrans*
Vobis cupido pectora habet, meæ
Partim æstimandi, partim amandi
Carmina vix preciosa Musæ?
Vos ambo magni quam facitis chelyn,
Sunt qui reprendant, & stomachi sui
Non esse clament: Iste, præter
Vana mele lyricasq; nugas
Quid exarabit? Nausea, tædium,
Rhonchus Camenas excipit, ô pari
Scultete *& ô* Laubane, *casu;*
Slesiacæ *gemina astra terræ*
Quondam futuri, præproperè nisi
Mortam incitarit stamina rumpere
Vitalis ævi sive Mavors,
Seu Croniis solitus vocari

In vota

In vota festis. Mi libeat tamen,
Ut fortè cannas inter aquaticas
Mopso sedenti, & ruminanti
Carmen agreste humili cicutâ
Plebeia tantum condere, sentibus
Rubuq; densis obsita; quæ legat
Nemo nisi unus saltuatim
In vepre & alter amicus hærens:
Quales peracto curriculo fore
Vos pollicetur dædala mens, boni
Præsaga sinceriq;. Nam cum
Primitus in gremio educati
Sitis Camenarum; hinc toleraverit
Uterq; sudorem in stadio dromo
Magni renitentes laboris
Contra onus, ac superare molem
Tam pertinaces: non animaverit
Certamen istud, quæ mediocribus
Labris susurrat trita avena?
Propterea sophiæ ô alumni
Honore parto non hodie minus
Gaudete quàm queis contigerat comas
Corona muralis Quiritum
Munere; nam penetrastis arcem
Diæ Minervæ, celsaq; culmina
Novem sororum. nec minus & meo
Gaudete cantu, quàm sonorâ
Mercurij citharâ diserti

Donatus

Donatus augur Pythius, & vice
Versâ Poëta Strymonius, DEI
Dono beatus: quiq; post hunc
Aomâ fide claruerunt.
Quamvis pudenter fila ego tinnula
Tentasse dicar; non tamen est, ut hac
Vobis pudori sint, Apollo
Quæ mihi dictat amore vestri.

AD
MELIOREM LAUBANUM
ART. ET PHILOSOPHIÆ
MAGISTRUM
Sponsum.

MELOS XIX.

TANTINE *momenti est, ab aquis Nicri*
Et diviarum vertice rupium,
Sollerter acciri Camenas
Sprotaviam, *thalamum ad jugalem?*
Plena est Poëtis vestra Silesia,
Et plena Musis. his tuus auguror,
Laubane, *certatim canetur*
Aöniis Hymenæus hymnis.
Dicent puellæ purpureas genas,
Albamq; frontem, quiq; potentior
Flammis amorem singularem,
Quo calet Anna *virente in ævo:*

Ipsumq;

Ipsumq́ dicent Henzelium *patrem*
Sponsæ, Senatorem in patrio opido;
Avumq́ maternum Simonem,
Nobile cui Boberina ad antra
Cognomen Unwirda *indidit. Optimis*
Hic excolendus scilicet artibus
Persæpè Lutheri *pependit*
Fixus ab ore Melanchthonisq́
Canorum ad Albim, cum manifestior
Doctrina primum detegeret dolos
Fraudesq́ fallacum Sinonum,
Teutoniam malè degulantum
Aurumq́ vafris astubus. Insuper
Dicent, ut aptè Sprotavia *in Scholâ*
Tibi sit adsignatus artes
Ingenuas locus addocendi.
Haud vota deerunt quæ tibi nuncupent
Dulces amici, quaq́ tuo toro
Faustissima unà comprecati.
His mea junge simul, sedentis
Inter rubéti densaq́ & horrida,
Rudiq́ agrestem carmine fistulam
Inflantis, ac deruminantis
Gutture raucicrepo Rhodantem.
Utcumq́ lentis hæc mea permeent
Vestras in oras alitibus, tamen
Laubane *jamdudum memento*
Vota bono ex animo profecta.

AD EUMDEM.

MELOS XX.

MENS si qua calens acribus usquequaq; voti
Desideriis icitur, ad rei cupitæ
Fructum capiundum sibi nullo obice claudi
Aditum patitur, vestibulumve. namq; virtus
Instincta animis provehit efficace motu
Æstus avidos! qualiter igneas favillas
Animare solet flamine vivido FavonI
Genitabilis aura; & viridem vigere flammam.
Vernans adolescentia, Laubane, bonarum
Postquam ambrosios imbibit artium liquores,
Hortos & amœnos Sophiæ Castalidumq;
Lustravit amor, qui tibi corda præter omnes
Iuvenes face torsit, studioq; nosse multa
Incendit: alumnis patriæ vigil senatus
Te præposuit, non sine candore Magistrum;
Miratus erat quem prius ad sonora Nicri
Thymbræus Apollo vada, cui Thaleia lauri
Gestanda comis germina sacra destinarat.
Iamq; ante alios dignior hercle es, impetritum
Cui sit, quod aves, o Melior, quippe Camenæ.
Hoc munus uti purpureum exigunt modestè:
Sic sponte meâ gratificarier paratum
Doctisq; viris noveris esse & eruditis.
Ergo cape Daphneia serta verticemq;
Redimitus honestum fruere his perenne in ævum,

Gaudens

Gaudens veteri jure, quod obtinent Poëtæ
A Cæsaribus Romuleis ritè creati:
Simul aureolo lauriger annulo rubraq;
Cerâ (quia fas) utere. Fallor, an decorum
Te fronde novâ Sprotavius *decenter* Hebrus
Mage suspiciet, cornuaq; extollet in altum
Posthac solito lætior? Advolant Napææ,
Pulcherq; chorus Naiadum, bonæq; Nymphæ
Spectatum hilari in vere recens honore mactum.
Ast indigenæ parcite conscijs ocellis;
Laubanum *alius jam tenet ignis. Uritote*
Alios, quibus est urier ac perire cordi.
Tu Pieriæ suppedita diserte vates
Exempla catervæ. Similis gloria, lausq;
Voto maneat compote nobiles ephebos.


AD
MELIOREM LAUBANUM
P. L.
De
INSIGNIBUS IPSIUS.
MELOS XXI.

CEU *Palma viret,* Laubane, *virebis:*
Cycnusq; tuus cantabit in ævum
Omne, perpetuâ dignus corollâ.
Ne quis noceat Palmæve Cycnove,

Divina

Divina cati serpente gemello
Virga Mercurij passim vetabit.
Honor & virtus sibi templa dicata
Habuere olim: Melior tibi contra
Templa nunc honor & virtus dicavit.





PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORVM

LIBER QVINCTUS.

Qui & Mele ſive Ode ad Noribergam & Septemviros Reip. Noriberg. inſcribitur.

AD

INCLITAM NORIBERGAM Urbem Imperij.

MELOS PRIMUM.

STROPHE.

PRINCEPS

PRINCEPS urbium Franciæ
Noriberga, Teutoni sidus poli,
Ocelle micans Europæ, &
Parens venusta Nympharum
Queis amne suos pedes lavit argenteos
Aureas inter Pegnessus arenas;
Viridis Pegnessus, uber undarum
Pater, actæq; locuples aquator:
Quis me Genius in tuum duxit
Sinum, tam comi & placido
Ut fruerer consortio
Niveæ sodalitatis?

ANTISTROPHE.

Credo, credo sane, suos
Civitatibus dicatos propriè
Adesse piam ad tutelam
Sanctos lares penatesq;
Ut æditimentur, ad domuum limina
Ritè custodes. arcana Iehovæ
Bonitas hos præsides ab æterno
Statuit consulere destinatis
Olympo hominibus. locos ijdem
Mali securos benè præ-
stare, nefandarumq; vim
Cohibere pravitatum.

EPODOS.

Lætor Io, lætor oppidò
Sub gremij me tui delitescere

Tutum

Tutum tegmine. lætor item,
Periculi nimis heu me tuti
Expertem & Alpium scrupearum cacumina
Cum nubifero Apennino
Trajecisse, & Æneadûm
Tiberina lustrasse palatia.
Onus heic repostum : sarcinæ valedictum.
Non amplius cor mi lapiunt curæ,
Neq; ærumna jecur anxiũ mihi exem.

STROPHE II.

Salve ô Noriberga inclita
Hostiumq; vince, si qui sint, technas
Et nequitiem. Salvete
Septemviri, quibus cura est
Concredita curiæ atq; reipublicæ.
Consulum salve patrumq; corona
Reliquorum tota : vosq; salvete
Quibus aut Musica sonora cordi
Aut Enthea Poësis. en Iuris
Peritos, nec non medicos
Adloquor insignes : item,
Sine queis nec ipse sexus.

ANTISTROPHE.

Nec pubes propagarier
Est potis, domesticum matres decus
Nurusq; juventæ flammas,
Castosq; virginum cætus :
Ac deniq; eos saluto, ope quorum Scholæ &
Templa

Templa fundatis stant nixa columnis.
Schola florens artium atq; linguarum
Studijs, ecce viridantis instar
Horti est, varia germinum herbarumq;
Alentis proseminia. hinc
Serta leges: illinc tua
Bene sarta tecta cernes.

EPODOS II.

REGNA, potentumq; maxima
Imperia (ah quantulum tempus hinc abest!)
Interversa ruent subitò;
Abrupta ceu crepitante terræ-
Motus fragore vel dorsa, vel pars crepidinis
Revulsa. sonum dant latè
Mugitumq; rudera. Tu
Nihil uspiam terriculi metu
Pavitabis, urbs divina; quippeq; robur
Cæleste virtute perpetua involvit
Quati prægravibus inscia ruinis.

AD
Amplissimos Reipublicæ Noribergensis Duumviros
BALDASARUM DERRERIUM
&
VVILIBALDUM SCHLUSSELFELDERUM.

MELOS II.

Ardua res, & omni
Mole, quam collo subeas, ponderosior, æquâ
Sustinere publicum
Cervice munus, proq; luculentis
Ritè focis & aris
Dextera cura studium collocare tuendis;
Ne quid ingruat mali
Fato sinistro. non sopore pigrum
Endimiona poscit
Hic gubernanda validus plebe temo; sed Argum
Fronte cujus ignea
Centum patentes palpebris severis
Stent oculi; irretorta
Semper intentos acie quos metu vereantur
Condecente subditi.
Auriga currum flectit, incitatos
Arte regens jugales:
Sic Magistratus populum pertinace capistro
Frenat & reos jugo
Constringit arcto. Si quis arrogantem
Heic Clymenes alumnum
Ponat exemplo, patrias absq; lege quadrigas
Susq; deq; lubricis
Rotis habentem; ne timebit exlex
Præcipitare sese
Et suos cives, simul his jura, resq; domosq;
Obvium in periculum.
Vento secundo navitis regendi

Cura minor Liburni.
Leva tempestas reboet, fluctuumq; furores
Spumeis reverberent
Pinum procellis, huc adactam & illuc
Heic opus artis, heic &
Roboris, motum paribus posse frangere tonsis,
Saeviente Nerei
Stridore, *marmor. Sic favente velis*
Et popularis aurae
spiritu, perquam facile est liberaliter urbi
Apta jura reddere:
At cum duelli causa praevalentis
Seditione gliscit;
Ah quotus quisq; est, animos indomabilis oestri
Qui furore percitos
Contundere urgens, pristinae rebelles
Restituat quieti?
Vos duos, virtute pares & fide, meritisq; in
Oppidana mutuis,
Te nempe canâ Derreri *senectâ, &*
Te Bilibalde, *qui de*
Clavibus nomen vetus & signa nactus avita es;
Maximusq; & optimus
Iehova summae rerum in evidenti
Praeposuit theatro
Urbis antiquae, vitrei cui liquoris abundans
Hospes insulam secat
Pegnessus: urbis, Francico Poëtae

Primitus erudito
Cum stylo Celti celebratæ, inde versibus Hessi
Vividis ad Astricos
Orbes vocatæ. DI patresq; nostri,
Numina celsa, quantum
Instar in vobis! oculos quisq; conjicit in vos,
Anchoram velut sacram.
Vos incolis, vos advenis asylum.
En operâ quietum
Otium vestrâ viget, ac pacis integra floret
Mater, aureis comam
Amicta lætæ ramulis olivæ.
Perpetuum sit opto
Tale magmentum; & proprias has opes bona vobis
Servet usq; Faustitas,
Candorq; Francus ævi in omne tempus
Virgineæ beatos
Sospitet vultus aquilæ. Quisquis hanc amat urbem
Esto, dicat, hoc ratum:
Et salva duret Noriberga semper.

AD
Eloquentiss. Cons.
PHILIPPVM GEVDERVM
Triumvirum reipubl.
Noriberg.
MELOS III.

Cura minor Liburni.
Leva tempestas reboet, fluctuumq; furores
Spumeis reverberent
Pinum procellis, huc adactam & illuc
Heic opus artis, heic &
Roboris, motum paribus posse frangere tonsis,
Saviente Nerei
Stridore, marmor. Sic favente velis
Et popularis auræ
Spiritu, perquam facile est liberaliter urbi
Apta jura reddere:
At cum duelli causa prævalentis
Seditione gliscit;
Ah quotus quisq; est, animos indomabilis æstri
Qui furore percitos
Contundere urgens, pristinæ rebelles
Restituat quieti?
Vos duos, virtute pares & fide, meritisq; in
Oppidana mutuis,
Te nempe canâ Derreri *senectâ, &*
Te Bilibalde, *qui de*
Clavibus nomen vetus & signa nactus avita es;
Maximusq; & optimus
Iehova summæ rerum in evidenti
Præposuit theatro
Urbis antiquæ, vitrei cui liquoris abundans
Hospes insulam secat
Pegnessus: urbis, Francicæ Poetæ

Primitus

Primitus erudito
Cum stylo Celti celebratæ, inde versibus Hessi
Vividis ad Astricos
Orbes vocatæ. DI patresq; nostri,
Numina celsa, quantum
Instar in vobis! oculos quisq; conjicit in vos,
Anchoram velut sacram.
Vos incolis, vos advenis asylum.
En operâ quietum
Otium vestra viget, ac pacis integra floret
Mater, aureis comam
Amicta lætæ ramulis olivæ.
Perpetuum sit opto
Tale magmentum; & proprias has opes bona vobis
Servet usq; Faustitas,
Candorq; Francus ævi in omne tempus
Virgineæ beatos
Sospitet vultus aquilæ. Quisquis hanc amat urbem
Esto, dicat, hoc ratum:
Et salva duret Noriberga semper.

AD
Eloquentiss. Cons.
PHILIPPVM GEVDERVM
Triumvirum reipubl.
Noriberg.

MELOS III.

GEVDERE eximijs inclite dotibus
Urbis magnificæ, præcipuum caput;
Qua de re modò tecum
Oratore Poëticum
Sermonem institutam, qui tibi, qui tuis
Ornatus titulis splendeat? ambigo;
Vox & faucibus hæret
Interrupta: pudor quoq;
Frontem scalpere me cogit, ob arduo
Commissam scapulis pondere sarcinam.
Etsi das mihi (quanquam
Quei noris dare, nescio)
Dignis posse modis pollicitam exsequi
Versu materiem tàm benè conduto,
Quàm Dircæa chelys, quàm
Doctis Lesbia barbitos
Immortale sonis plectrum animat; tamen
Dum septem proceres scribere gestio,
Ne contingat egeno
Non tam sponte & ingenI,
Quàm, quæ deficiunt pectora, virium,
Id quod technophyo contigit Isthmio,
Hac ætate vereri
In mentem venit ilicet.
Bissenûm siquidem mirificus deûm
Euphranor nitidas pingere imagines
Claris orsus Athenis
Cum jam, quàm pote maximè.

Pracel-

Præcellentibus hinc inde coloribus
Neptuni speciem, tergemina sui
Majestate verendam
Complexus fuerat; Iovem
Ipsum, pro merito, splendidioribus
Longè luminibus sumpserat, ac magis
Augusto ore coruscum,
Divum quale decet patrem,
Subjectæ in tabulæ fronte palam omnibus
Spectandum dare. Sed quos animi impet9
Præcox illa prioris
In se vis operis, statim
Præter propositum languida, fregerat;
Conatus reces heu posterior, nimis
Enervatus, in altum
Hos adsurgere, quo quidem
Tendebant, vetuit Dædala sæpius
Vt natura catæ gnaviter æmulam
Virtutum esse suarum
Arti non negat invide;
Sic, utcumq; labos ardua ventilet,
Eamdem destituit non minus irritam
Quod pol dextera quondam
Elimatior optimi
Pictoris pariter tum statuarij
Sensit, cui similor, non sine quæstubus.
Ac ut more novercæ
Nunc mandata solo Ceres

 Frustratur

Frustratur sterili fœnora semine,
Sulcis ludibrium; nunc hebetata nil
Falx messoria dentes,
Spem frugalibus horreis
Culmi spiciferi mergite flaccidam
Omninò imminuit: sic quoq; vitrici
Instar, lævus Osyris
Aut florentia noxio
Almarum patitur germina vitium
Obterpere gelu, aut cum nova palmites
Stant velamina fructuum
Induti, malè præcavet
Hos sæva Boreæ grandine concuti.
Sic vindemiolam termitis haud sibi
Semper præstet opimam
Inventrix oleæ Dea.
At Geudere tibi Bistoniæ datum est
Chordas posse lyræ tangere, quomodo
Vati cumq; libebit.
Est, qui possit, idem tuus
Frater Castalijs lotus in amnibus
Vobis Melpomene sive Polymnia
Palmam ferre secundo
Non abiurat Apolline.



AD
Strenuissimum Equitem
JOHANNEM RIETERUM,
Septemvirum Noriberg.

MELOS IV.

NON pace tantum commodè tuerier
Oppida, laudis erit;
Sed dum furores bellici
Terrent colonos, maximæ virtutis est
Hostibus armiferis
Opponere arma fortiter,
Dextrisq; verruncare tot minacias,
Quas Dea sæva serit
Impune; cui non vastitas,
Non præda, non clades, neq; effusus cruor
Indomitam saturat
Mentem, neq; ater uspiam
Incendiorum fumus explet lumina.
Usq; adeò nimijs
Mortalium gaudet malis
Tyranna, fervidi sititrix sanguinis.
O utinam Satrapæ
Regesq; nostri temporis
Injusta declinare bella à civium
Indigenûmq; procul
Cervice mallent, quàm meras
Spirare mortes. non foret consultius,

In genus Odrysium
Acresq; Bisaltarum equos
Enses retusos ilicet diffingeret
Non foret utilius,
Commune damnum in exteras
Plagas relegare, & quietis publicæ
Quà licet omnimodis
Ultrò procurare augmina?
Martisq; nervos ilicem pecuniam,
Carcere sub tacito
Clausam novemplici serâ,
Meliorem in usum sedulò comparcere?
At grave in exitium
Ruere scelestos Fatum agit,
Qui sæpe fractis debitæ repagulis
Iustitiæ & fides,
Heu stare pactis mutuis
Timentq; conjurare amicis nexibus.
Tu quoq; militiam
Rietere, *longam castraq;*
Sectatus es; sed laude cum majore, quàm
Vulgus inops hodie
Virtutis antiquæ solet,
Lucro & rapinæ congerendæ obnoxium, &
Vel stygiis in superos
Proclive causam heriscere.
Tua est tetrarchis regibusq; exoticis
Cæsaribusq; fides

Manusq;

Manusq; cognitiſsima.
Te Belga, te novit Britannus, Celtaq́; &
Imperioſus Iber;
Te novit acer Italus.
Te Quinctus ille quondam equeſtris ordinis
Carolus Eulogijs
Ornavit, armis ſtrenuum.
Tibi Gradivus ipſe ceſsit contumax,
Ceſsit etiam ipſa ſoror
Pugnax Gradivi protenus.
Nunc patriam, nunc & patronos patriæ
Conſiliiq́; bonis
Iuvas, & illa fungeris
Officia, quæ tranquillitatem Norici
Rectius imperij
Sartam atq; tectam promovent.
Quis aut equos, aut quis mihi Poëticas
(Martipor heus agedum)
Mittet quadrigas, his uti
Feſtinus invehar viri in præconia,
Et LaceDæmonium
Velut Clearchon alterum
Hunc ritè celebrem? non opis mihi ſatis,
Nec ſatis oris ineſt
Preſſum trahenti ſpiritum,
Tot atq́; tanta poſſe præclariſsimi
Facta patrata manu
Herois, alto carminis

Sonare lituo. Ter beatus, quem graves
Urbis in historia
Clanxere fortem buccinæ.

AD
Præstantissimum Patricium
HIERONYMUM BAUMGARTNERUM,
Septemvirum Noriberg.

MELOS V.

VT juncta nuper dextera dexteræ,
Blandisq; linguæ lingua reciprocæ est
Collata Baumgartnere *verbis:*
Dispeream, nisi visus ipse
Mihi es benigno pectore Gillias
Unus; Pachyno non procul arduo
Quem mentis haud illiberalem
Protulit olim Agragas in auras.
O qui refulgens ore sedet lepos!
O quæ loquellæ Thespias it comes!
O quale quantumve heic propinquum
Numen inest oculis venustis!
Spirant inexpletum ingenui meros
Vultus amores, lumina gratiam:
Humanitatis officinam
Corde tuo sibi collocavit
Natura pollens. En ego perparum
Fuisse dico, quidquid inaudij

De dote tanti deq; nervis
Ingenij, minuunt acumen,
Rerumq; acervos credita: cernere est
Plus in recessu. Ponite, ponite
Fictos colores, ô Falisci,
Et Tyrio simulata fuco
Pigmenta: nobis patricium dedit
Sincera Francæ Noridos urbs virum,
Quo nemo Musas usquam amavit,
Sed nec amat, nec amabit unquam
Ardentius; quo nemo magis fovet
Musarum alumnos. Solus hic omnium
Est instar: hunc solum Camenæ
Diligere, & Charites amare.
Vixisse tali pectore præditum
Senem, quis est qui credere deneget
Tuum parentem? quo nil res-
Publica vestra habuisse fertur
Præstantius, seu consilijs graves
Lenire causas, seu moderantia
Mentes sonare dicta, sive ex
Tempore cum Cicerone fari.
Testes meorum nuncupo sensuum
Quot eruditos conscia reddidit
Doctrina conscriptosq; patres,
Totius & regimen Senatus.
Sacrum Camenis ô Hieronyme
Nomen, superstes vive mihi diu;

Tuiq;

Tuiq́ʒ propaga decórem
Sanguinis auspicio secundo.
Ex te creati comiter induant
Mores paternos, arboris ut bonæ
Fœtus ab innato sapore
Fructiferam redolent parentem.

AD
Honoratiss. Senatorem ANDREAM IMHOFIUM, Septemvirum Norib.

MELOS VI.

HUC illuc oculos plagas per omnes
Et in omne, si quis ora
Vertat latus; et qua firmiora
Potis est, relictas
Præter imperij labantis urbes,
Stabili invenire regno
Fundamina? Luca Tusca restat
Italis in oris
Sola; Solaq́ʒ sequa nos ad ocres
Sita, Gallicæ loquellæ
Vesontio. Teutones tuemur
Hodie perægrè
Prisci relliquias honoris atqʒ
Decoris, valente dextra &
Virtute fideq́ʒ Francicorum
Meritisq́ʒ regum

Parti.

Parti. Carole, Carole *ille, Magni*
Generosum adepte nomen,
Et Carolidum vetustiorum
Animæ beatæ;
Quantum pristina discrepant ab aliis
Aquilæ nimis vietæ!
Quam sceptra vorax senilis ævi
Caries peredit!
Custos Noricus *est tamen Senatus*
Diadematis sacrati
Glotiq; decentis & bacilli,
Gladijq; pulchri, &
Abollæ Phrygiæ, novum monarcham
Operose inaugurandum
Cultus propriè manentis, idq;
Genus intimarum
Rerum; non sine gemmeis lapillis
Variæq; dote Gazæ,
Quam rumiferare Fama cunctis
Pretiosiorem
Unionibus atq; margaritis
Alyatticis & Indis
Nihil dubitabit ô fidelem
Et honore dignam,
IMHOFI *venerande, Noribergam,*
Patriam virûm bonorum;
Cui tradita jure tanta tantæ
Opulentitatis

Cura!

Cura! nam nisi gloriosa vestræ
Fidei integræq; mentis
Spectata negotiis in arctis
Foret altitudo;
Quantam re dubia haud scio profectò
An in altera urbe forsan
Qui repperit pari vigore,
Mihi nemo præstet:
Eccui muneris hocce credidissent
Proceres? idem reapse
Nunc in studium fidemq; eamdem
Penetrare sese
Septem consimili studet viratus
Animo, statum perennem
Servare memor, piè adlaborant
Operamq; navant
Mutuam reliqui patres togati.
Sapientiæ refertorum
Industria consulum, & paternus
Tredecim virorum
Consensus bona civitatis auctat.
Ita, si pusilla magnis
Componere fas, apum catervam;
Ita diligentes
Formicas, patiens genus, videmus
Locupletiore cellas
Augere penu, & scrobes egenæ
Hiemi cavatos,

Subter-

Subterranea regna; nil labori
Operæq; non paratas
Impendere, quo sua & suorum
Sibi tuta servent
Incrementa, genusq; destinatum
Socijs utrinq; curis.
Macti este bonis abunde vestris
Animisq; cives:
Vobis dum placidæ quietis annos
Malè nulla turbat Ate,
His verticibus suprema latè
Ferietis astra.

AD
Vigilantiss. Præfectum
BARTHOLOMAEUM POEMERIUM,
Septemvirum Norib.
MELOS VII.

HINC te Pœmerij *canam*
Stemmatis columen, Bartholomæe;
Cui tutella salusq;
Arcis ante alios credita Noricæ.
Inter præcipuos viros
Nominis, tua te strenua virtus
Collocavit; ut horum
Amplo, pro meritis, additus ordini,
Claræ sidera patriæ
Fulgidis, patriæ sidus & ipse

Illustres

Illustres radijs, ceu
Perseus Inachius: quem memorant polo,
Ob laudabilium acribus
Expedita lacertis monumenta
Rerum, sponte receptum.
Quid non ille animi præstitit integer
Heros, prævalida manu
Dum comam anguineis Gorgonas atram
Spiris implicitas, ac
Sævam terribili fronte Medusam atrox
Non impunè retunderet?
Hanc quidem peracutâ dedit harpe
Leto, fortibus illas
Armis vicit ovans. quod nisi Phorcidi
Truncasset caput obviæ,
Nonne Bellerophontéus equus nec
Fuso nata cruore
Crura sustulerit, nec pedis ungulâ
Fonti ruperit exitus?
Vnde Pegaseum prisca vetustas
Nominare suevit.
Ejus ni fuerint juge fluentibus
Proluti labra rivulis,
Queis Cycnéa mele commodulari
Cordi est; his neq; Phœbum
Scitum Mæonij carminis augurem,
Nec Pimpléidas, Aonum
Hospitas, neq; Tritonida castam

Certum

Certum est adfore præstò;
Seu clangente tuba forte epos adgredi,
Sive Pindaricæ lyræ
Increpare fides, aut juvet arctis
Verba adstringere nodis,
In breves Elegi quo coëant pedes.
Quis nunc quis mihi limpidi
Expetita ministrare liquoris
Sudet cymbia; queis ex-
haustis, magnifice dicere moliar
Et te candide Pœmeri,
Gentilemq; tuum, cui Joachimo est
Nomen? ambo Camenas,
Ambo Pieridum numen Apollinem,
Ambo Pallada dædalam
Semper in pretio ac summo in honore
Censuistis habendam,
Cultoresq; bonarum insuper artium
Dignos semper amarier.
Si qua vis numeris indita nostris;
Faxo, nulla dies ut
Vos unquam memori serior eximat
Ævo. namq; melismata
Musicæq; frequentare coronæ
Cætum quando soletis;
Est, quo vos solidis cum grege Delio
Obligetis amoribus.
Ergo fas erit, ut perpete fama

Vestrum illustria nomen
Ad seros iterent secula posteros.

AD SENATUM NORIB.
DE INSTAURATIONE ACADEmiæ ALTORFIANÆ.
MELOS VIII.

SI *quid, ut magnum, benè condidistis*
O patres; amplum studiis Lycēum
Quam sub ALTORFI *benè condidistis*
Mœnibus altis!

Oppidum parvo licet inter hortos
Ambitu clausum similet Sareptam;
Artium seges tamen heic bonarum
Floret abunde.

Iamq; per novem genialis annos,
Palladis nutu, Cerere auspicata,
Protulit feretq; dehinc apricæ
Messis honores.

Huic Erythræus prior excolendæ
Rector accersitus: eoq; misso
Sub colum Clothûs, aciemq; ferri
Freigius arva

Iure consevit locitata Musis.
Cæteri tradunt operas coloni
Mutuas, nullius onus laboris,
Terga quod urget,

Quamlibet

Quamlibet vastum, tolerare segnes.
Hic agrum proscindit, agitq́ȝ sulcos;
Alter offringit sola dura glebis:
Lirat & occat
Ille: tum runcant alij frutetum,
Germinans cum luxuriem superbam
Pingue abutentis mala pullulavit
Seminis herba.
Ah quibus secli meruere culpis
Morte ab humanis citiore tolli
VOLCAMER *præclarus itemq́ȝ* LÆFEL
HOLTZIUS *ille,*
Quo minus vesci diuturnitate
Lucis, aut saltem locupletiores
Quirit usurpare oculis uterq́ȝ
Frugis acervos?
Hos tamen certè geminos Scholarchas
Nulla post ætas veniens silebit,
Luna dum nocti præerit, diemq́ȝ
ducet Eous.
Dissipent aras Academiasq́ȝ,
Verrium dentes, & aprugna rostra:
Misceant cœlo mare factiosi
Ardeliones,
Turba sublectaq́ȝ fide & profanis
Moribus, Colcho gravidi veneno;
Luce queis cassos volupe est, & ipsos
Lædere vivos:

In Professores furiale vestros
Non cadet, multo minus in dynastas
Ordinis vestri, pietatis antes,
Virus Echidnæ;
Invicem sed concilium scholamq;
Legibus sanctis benè constitutam
Comis edulcabit amor, boniq;
Gustus & æqui.
Nam quid heu Gryphi tot opinionum
Commodi præstant? quid habent decori
Ex acerbatis animis tot hirtæ
Verbera linguæ?
Crescit, augmentumq; minuta sumit
Res, ubi concors habitat voluntas:
Maximas contra dedit & dabit dis-
cordia pessum.

AD FRANCIAM ORIENTALEM.

MELOS IX.

COnsitrix mea, Franciæ nobilissima tellus,
Eademq; vatis alma nutrix,
Europæ teres ô centrum, &
Latè patentis umbilice Germaniæ;
Quem pater medium secat Mænus amne secundo
Viridissimos feracis inter
Colles & juga Lenæi,
Vallesq; lætas: ut libenter amplector &
Osculor

Osculor patrios sinus! ut tuo in gremio nunc
Fruor adfatim redux amicis
Iucundis & amicorum
Gratis loquellis! Quinq; lustra jam sit satis
Absuisse penatibus; lubricæ vitis Hybrin,
Variosq; sortis implicatæ
Lævo sydere perpessum
Casus, in exteris perinde provinciis
Atq; in huic propioribus limiti. Malè vortat
Sceleri, rotæq; divagantis
Fortunæ dominatrici,
Luscæ tyrannæ; ad usq; summa vectos poli.
Astra, non nisi pessimos elevare suetæ.
Benè vortat & bonis piisq; &
Sinceræ fidei, nec non
Virtutis adsertoribus, doli nesciæ.
Hocce cum grege junctior, transigam stata vitæ
Melioris ac quietioris
Demum tempora, Francisq;
Desideratos; videre vultus dehinc,
Qua pote, haud capiar. Potens Noriberga Melisso
Benè vult cupitq;: Noriberga
Acceptum Genio votum
Hoc redditumq;, non sine æmulis, fecerit;
Si neq; illepidum, neq; est præter omne decorum.
Stat enim (sit ô bonum) quotannis
Huic urbiq;, dynastisq;
Urbis, sacrare debitos recenti modos

Pactione, quibus latens cumque degero sylvis,
Dryadum calens Oreadumque
Castarumque Napæarum
Amore, fontiumque præsides in mea.
Vota pelliciens deas. Audiam melicorum
Bonus auctor, atque fortè princeps,
Pegnesi patris instinctu,
Arbitrioque mi favente Pegnesidum.
Inter hæc tibi si meis clara Francia *metris*
Aliquid, tuo quod aut honori,
Aut dignæ faciat laudi,
Occurret, effice ut perennet hæc laus, & hic
Usque honos trieteridas mille & amplius; utque
Popularibus tibique amandus
Sim, ceu te popularesque
Amo, atque porrò non amare desivero.

IN
ANNUM CHRISTI
M. D. C.
Carmen seculare.
MELOS X.

JAM post virgine prosatum
Hoc in orbe filium,
Sol & Luna reciproco
Mille senaque secula
Absolvére meatu.
Lunæ cornua menstruæ,
Atque Solis annuos

Gyros

Gyros, signa per astrica
Norici pueri canant,
Noricæq; puellæ.
Ævum tempora lubricans
Rebus, ut solet, nothis
Miscet instabiles vices:
Fatum parca remetiens
Comperendinat annos.
Robur annus idoneum
Auget acribus viris:
Idem robur idoneum
Languido senio negat.
Compar sors habet urbes.
Urbes intereunt, truci
Mart' & igne dirutæ:
Instaurantur idemtidem,
Altis sydera turribus
Superbè ferientes.
Noriberga *prioribus*
Damna multa seculis
Passa, Marte viget suo;
Noriberga *potentium*
Mater alma virorum.
Hostes imperio sacro
Abstulere terminos:
Hostes imperij sacri
Ius & oppida poßident,
Occupantq; quotannis:

Noriberga *suo viget*
Iure, multa seculis
Damna passa prioribus.
Noriberga *potentium*
Mater alma virorum.
Stare sanguineas polo
Sæpè vidimus trabes:
Sæpè nobilium neces
Regum vidimus & ducum
Præsagire cometas:
Noriberga *prioribus*
Damna multa seculis
Passa, floret viget suo;
Noriberga *potentium*
Mater alma virorum.
O qui signifera rotæ
Temperatis ordinem
Parcarum digiti trium
Lustra volvite prospera
Claræ Noridos *urbi:*
Tuq́ue stella benignior
Optimi Iovis fave;
Et tu Mercurio comes
Pulcer Hespere torpeat
Marsq́ue Falcitenensq́ue.
Et quicumq́ue salubrium
Prædo pestilens opum
Infelice sui situ

Fortune

Fortunæ melioris ab-
rumpit æthere cursum.
Princeps audiat urbium
Noriberga *Franciæ*
Semper; semper & audiant.
Franci, *natio nobilis,*
Primi Teutonas inter.
Rerum qui potitur, bonus
Usq; Cæsar hanc amet,
Stirpis Caroleæ genus:
Ipsa amet quoq; Cæsarem
Fida nomine req;.
Euge Sancta fides, ratum
Hoc habe, quod edimus:
Euge heros, Latialium
Augustißime Principum,
Nomen omine firma.
Sic te sic Capitolium
Vere septimo ducem
Præstoletur, ut aurea
Condas secula, quomodo
Prædixere Sibyllæ.

AD
HIERONYMUM BAUMGART-
NERUM,
Patricium & Senatorem
Noriberg.
MELOS XI.

Pindarum studiosius æmulari
Ceratis ope & arte Dædaléa
Pennis nititur, altius volando,
Ponto nomina vitreo daturus.
Nos haut immemores Horatiani
Præscripti, tamen improbo labore
Audacis nova verba Dithyrambi
Volvimus, numerisq; lege nusquam
Solutis ferimur, sua recentem
Regula pedem ubiq; metientes.
Tu suavissime Gratiarum amator
Versus fronte meos lege serena
Baumgarnere, *nihilq; non putabis*
Facturum, quod ad oppidi perennem
Vestratis pote pertinere laudem.
Quiddam namq; Duumviris, & ipsi
Geudero, *reliquisq;* Noribergæ
Summis præsidibus Minerva svasit
Concinnarier; unde quantum amarim
Et vos, vestraq;, quamq; amare porrò
Inciter, manifesta signa prodam:
Verum ejus semodi, ut per illa vos aut
Æternum mereamini decorem, aut
Ipse nonnihil aucuper favoris;
Qui, ne Palladij liquos Olivi
Perdatur sibi, neve opella, faxit.




PAULI

PAULI
MELISSI
SCHEDII
FRANCI
GERMANI

COMITIS PALATINI ET
EQV. POETÆ LAUREATI,
CIVIS ROMANI

EARINΩN

LIBER PRI-
MUS.



AD

PAVLVM MELISSUM SCHEDIUM.

MELLITISSIME, quæso, mi MELISSE,
Quo mellita magis nec ipsa mella,
Nec ipsi lepidi magis lepóres,
Nec est ipsa Venus magis venusta;
Quisnam hoc nomine te beavit augur?
Fallor, an tibi vel novem Camœnæ,
Vel ipsæ Charites tibi hoc, MELISSE,
Præsagæ puero dedêre nomen?
Sed ô parcite vos mihi, Camœnæ,
Et vos ô Charites. MELISSUS iste
Quorsum? nam potius vel est mel ipsum,
Vel est ipsa opifex Μέλισσα mellis,
Vel certè ipsius officina mellis.

T. B. V.



AD AVGVSTAM VINDELICORVM.

PHALECIUM I.

FLOS *Augusta decusq; civitatum,*
Formose urbium ocelle pulcriorum,
Quæcunq; imperio manum fidemq;
Germani imperio dedere regni;
Mœni sive mei rigentur undis,
Sive illas rapidum strepentis Istri
Flumen, seu liquidis Mosella lymphis,
Sive Albis pater alluat, vel alto
Rhenus gurgite, Rhenus amnium rex
Quotquot Teutoniæ fluunt in oris:
Quàm te, nobilis urbs, libenter, & quàm
Lætus conspicio & magis magisq;
Internis hilaratus in medullis
Mentem lætitiaq; gaudioq;
Perfundor, mihi (quis putaret?) ipse
Vix credens, juga Cæcij rigentis
Aastraleisq; situs, & Oene flumen
Reliquisse tuum, Isaræq; ripas,
Et pulcerrima te videre rerum
In tuto! sed enim soluta curis

Et durum

Et durum & grave mens onus reponit.
Iam non acre gelu, nivesq; densas,
Non me pœnitet horridum rigorem
Ac sævos Boreæ tulisse flatus,
Divi numina Cæsaris sequendo.
Fessi quippe labore tædioso
Tandem contigimus lares amatos,
Optatoq; quiescimus cubili.
Salve ô imperij columna, salve
Augusta aureola, elegans, venusta,
Et pollens opibus, virisq; præstans.
Quæ septemgeminos ad astra colles
Iactat, Roma tibi superba cedit,
Cedunt Adriacæ paludis arces,
Cedunt mœnia regiæ Viennæ.
Vos salvete patres, avete matres,
Et vos ô lepidissime puellæ,
Matrum deliciæ, patrum voluptas.
Gaudete ô Lyciæ fluenta lymphæ:
Ride care Geni, bonaq; castas
Heic præsens ope sospita puellas.
Quid felicius auspicatiusve est?

AD JOHAN. SAMBUCUM PANnonium, Cæs. Historicum.

PHALECIUM II.

ÆTernis tibi tanta comparasti
Chartis nomina, tanta consequutus

Es præ-

Es præconia gloriamq; talem,
Et tam grande decus perennis ævi,
Tantos deniq; diis pares honores;
Immortalis ut usq; sis futurus.
Cur Sambuce *tamen graves laborum*
Moles, totq; molestiis refertas
Curas pertolerans, celebrioris
Famæ quæris ab arduis honorem
Scriptis; sive nigras dies tenebras,
Seu clarum revehant diem tenebræ?
Quamvis hinc tibi majus esse nomen
Major gloria, grandiorq; multò
Laudis fama potest, uti mereris;
Excellentior eminentiorq;
Fies inde quidem, nequis sed ultra
Immortalior esse diciérve:
Immortalis enim satis superq; es,
Ut quem vita beat solo perennis,
Et quem vita beat polo perennis.


AD CASP. CROPACIUM, P. L.

PHALECIUM III.

Diffugére nives, hiems soluta est:
Iam veris tepidi benigna mulcet
Campos aura, sereniore cœlo:
Gramen rursus & herbulæ virentes
Iucundas caput exerunt in auras,

Et rident

Et rident vario colore florum;
Et nunc arboribus gelu maligno
Detonsæ redeunt, ut antè, frondes.
Quin tu perveteri meo sodali,
Vati Cropacio papyre dicus,
Claram Videlicûm citis quadrigis
Augustam volet, algidi relinquens
Misæ flumina, Pelsinamq́ue caram.
Germanos volo principes ducesq́ue
Legatosq́ue simul loqui disertos
Heic règum videat remotiorum;
Dum primos celebri sacer paratu
Conventus agit hac in urbe Cæsar.
Quare si sibi (ceu reor) tot atq́ue
Tam claros proceros videre cordi est,
Tantillum cupidus viæ vorabit:
Consors ipsa tori licet per omnes
Obtestata virum deos, euntem
Retrorsum vocet, atque blanda collo
Nectens brachia, milliesq́ue verbis
Miscens oscula, detinere malit.
O si quis mihi nuncios beatos
Si quis nunc ferat, ilicet citatis
Curram passibus obviam sodali;
Illiusq́ue oculos, amabilesq́ue
Vultus terq́ue quaterque suaviabor.



AD JOHAN. BAPTISTAM HÆNZELIUM, Patricium Augustanum.

PHALÆCIUM IV.

Longævos superi, precor, tenellam
Henzeli *tibi filiam per annos*
Servent incolumem superstitemq́;
Matris delicias, tuos lepóres.
Istam filiolam tuam modestam;
Cui nomen dedit una Gratiarum,
Delectabile nomen & venustum;
Grajoq; Euphrosynen vocavit ore.
Istam filiolam tuam decentem;
Quæ stirpis decus, & venustiorum
Vernans flosculus est puellularum,
Quotquot Vindelicæ nurus tulére.
Istam filiolam tuam pudicam;
Purus quam, sine labe castitatis.
In caræ niveis parentis ulnis
Nutrit lectulus, integer pudoris:
Qualis bacciferis amœna Lædi
Myrtos flumina ramulis virentes
Progignunt, Paphiæ sacras Dionæ.
Istam filiolam tuam placentem;
Quæ tam flammeolis micans ocellis,
Stellas æthere lucidas in alto

Vincit flammeolis suis ocellis.
Istam filiolam tuam decoram;
Quæ tam floridulis nitens labellis,
Candens liliolum & rosam rubentem
Vincit floridulis suis labellis.
Istam filiolam tuam disertam;
Quæ tot versiculos simul Latinos
Signatos animo tenet fideli,
Teq; illos recitat jubente, verbis
(Quantum ætatula fert) sine ambigendo
Utens perspicuis & expeditis.
O miram ingenii sagacitatem!
Serva CHRISTE *precor diu hanc puellam*
Matris delicias, patris lepores:
Et vos uberioribus Camœnæ
Lymphis Aönij rigate fontis
Facundissima virginis labella;
Ac quondam facite, annuente Phœbo,
Ipsam vincat Olympiam beato
Felix carmine, Sapphicaq; fiat
Musa doctior eruditiorq;:
Hoc nil pulcrius elegantiusve est.

AD JOHAN. STURMIUM.

PHALÆCIUM V.

FAcundissime Tullii nepotum,
Quos Germania fert, tulit, feretve:

Tot

Tot centena tibi Melissus *optat*
Vivas secula, vixerat quot olim
Nelides. & ut ille dulciorem
Omni melle, duces monens Achivos,
Fudit suavibus è labris loquelam;
Sic, Sturmi, *tuus Atticis opimè*
Dulcis sermo precor favis abundet;
Rores unde aliis novos ministres:
Qui tantò melior probatiorq́;
Orator numeris tonas sonoris,
Quantò pejor ineptiorq́; vates
Undenis ego Syllabis susurro.

AD SIMONEM SCHARDIUM J. C. Cameræ Spirensis Assessorem.

PHALÆCIUM VI.

F*Ormosas pater undiquaq́; Rhenus*
Nymphas educat, educatq́; Mœnus
Rheni frater amabiles puellas;
Nec illis minus hisve pulcriores
Certè progenerat Nicrinus amnis.
Tu Schardi *tamen omnibus puellis*
Rheni posthabitis meiq́; Mœni
Neglecto quoq́; Necchar o propinquo,
Unam longius ad Lyci fluenta
Natam prendis amans, tui locandam

In partem thalami. Timete Nymphæ
Subirascier aut malè ominari:
Vestri non odio Simon laborat,
Quin nec patricia creata gente
Philippina, pudoris atq; morum
Exemplumq; decusq; virginale,
Morsus invidiæ meretur ullos:
Autor si DEUS est tori jugalis.
Svevis indigenæ deæ deabus
Parcitote precor vel obloquendo
Obtrectare, vel invidere quicquam
Caussando: potius sed æmulari
Illas discite. Melle dulciora
Svevis sunt labra: svaviora fundunt
Svevæ nectare verba: puriore
Gestant seu nive corda, sive Cygni
Plumis candidulis; colunt maritos
Sanctè; qvam fidei piæ tenaces,
Tàm servare domumq; remq; gnaræ
Æquis fœderibus. Beatus ille
Cui talis benè cessit uxor. At tu
Schardi Cæsarei fori Senator,
Gaude perpetuò marite gaude,
Cum desiderio tuo venusto
Vivens unanimes quietus annos.
Philippina animi tui levamen,
Philippina tui medela cordis
Dum floretq; vigetq; ; fellearum

Timen-

Timendum nihil est acerbitatum:
Nam conjux tua Suavitas vel ipsa est,
Vel ipsissima theca suavitatum.

AD PAULUM SIBERUM AB Ericis, Francum, P. L.

PHALÆCIUM VII.

Heroum celebres, Sibere *laudes*
Et fortissima principum virorum
Cum describerer facta non gravarer;
Illi carmine pro laborioso
Vati præmia reddidere nulla.
Post me composui leves ad aures
Vulgi, queis Elegi *placere nostri*
Cœperunt; sed inanibus Poëtam
Me per ludibrium vocare verbis
Quosdam non puduit, genus Cyclopum:
Ira tunc ego fervida tumescens
Omnes qvotqvot erant meos libellos
Statim Mulciberi dabam cremandos.
Iam versus quia fortè mollicellos
Nec duros facio, qvibus virentem
Oblectem modò transigamq; vitam;
Amatorius arguor Poëta,
Qui captem Veneresq; Gratiasq;.
Qvid Svades? an & hos rogis, ut illos
Tradam? non faciam, SIBERE, *malo*
Amatorius argui, meamq;

Oblectare Poëmatis juventam;
Quam pravis stupidi placere vulgi
Conari auribus, & tamen reprendi:
Aut regum meritas ducumve laudes
Expers condere præmij laborum.

IN CURAS.

PHALÆCIUM VIII.

CURÆ, carnifices meæ juventæ
Durum pectoris anxij gravamen;
Nam quis vos (age) vitricus creavit
Tàm sævas, rigidas, truces, acerbas?
Quænam vos peperit noverca pellex
Tam diras, tetricas, graves, molestas?
Iucundos placido sopore somnos
Vos abrumpitis inquiete multa,
Nocturnoq; timore territatis
Mentes attonitas metu futuri:
Exesas etiam latenter imis
Vos consumitis ossibus medullas.
Vos primæ viridissimum juventæ
Depasci solitæ repentè florem,
Heu justum properatis ante tempus
Infelix senium, nivesq; canas.
Quin & nos macie ferè suprema
Toti conficimur, simillimiq;
Buxo pallidulі videntur artus.
Tabesco velut icta Sole myrtus;
Languens sicut amaracus fatisco.

Quem

Qvem vester malè sanus urget angor,
Hunc nec potio nec cibus juvabit;
Quamvis dulcis hic & sit illa suavis:
Huic ipsa ambrosia est acerba; nectar
Amarum quoq; mel quoq; est amarum.
Iuxta vos, comites ducesq; fortes
Mæror cum gemitu, dolor, pavorq;
Et suspiria, lacrymæq; crebræ,
Et Phantasmata, imaginumq; turbæ.
Accedunt cruciatuum cohortes
Ac condensa phalanx acerbitatum,
Nec non sollicitudinum catervæ &
Centum millia cogitationum.
Tum sensus animiq; dividuntur
In partes varias & huc & illuc;
Turmatimq; acies ad unicum cor
Omnis tendit in unico moratur,
Cor solum petit; impetuq; certè
Expugnent, nisi cum potente vino
Curarum domitor Lyæus adsit,
Qui tantam premit ingruentium vim
Dirarum, & valido retundat haustu,
Cum semper violentius recursant.
O fortißimè victor, hostiumq;
Profligator, ades mihi benignus.
Cinctus pampinea caput corona;
Meq; exsolve gravi Lyæe cura:
Iamdudum celebres Poëta cantus

 Et claros

Et claros meditor tibi triumphos.
At vobis malè sit, maligna curæ
Pestis, carnifices meæ juventæ.

AD ANIMVM SVVM.

PHALÆCIUM IX.

AH cesses, anime ô miselle, cesses
Tandem, sponte adeò tua furendo
Insanire; sat est ineptiarum:
Curis non sat es anxius peresus?
Flammis non sat es igneus perustus?
Cesses eja age, perditumq; ducas
Quod dudum periisse conspicaris.
Quondam candiduli tibi benignè
Fulserunt Zephyro favente soles;
Iam nox purpuream repentè lucem
Furvis turbida comprehendit alis;
Adverso intonuit fragore cœlum,
Et circum nebulæ volant opacæ.
Nubes atra (quid intuar?) serenum
Spissis involvit diem tenebris:
Diros quin etiam nigras per umbras
Vespertina sonos dedit volucris.
Ah quàm ver breve tunc fuit peractum?
Longè maxima dein hiems sequetur.
Heu, quæ frigora flabit ipse Caurus?
Horrendum viden' ut fremant procellæ,
Tempestasq; magis magisq; crebri

Aucto

Aucto turbinis impetu gravescat?
Tu verò, ô animæ impotens, relinque
Tandem, quod perijt nec exstat usquam:
Nec desiderio furens inani
Inter spemq; metumq; macerare;
Nec jam vive miser, sed obstinata
Perfer mente, pati quod heu necesse est.
Obdura benè fortiter. rebelle
Tempus sic voluit, vicesq; rerum.

AD HIERON. VVOLFIVM.

PHALÆCIUM X.

HErba est, ex Helenæ ferunt Lacænæ
Natam lacrymulis solò profusis
Tunc cum purpurei (nefas) pudoris
Idæus spolium Paris tulisset.
Radix hujus odora, plena succi,
Emolita mero, suas in illud
Quum diffuderit undiquaq; vires;
In se tantum habet efficacitatis,
Vt mœstos animi levet dolores,
Ut mentes hilaret, graveisq; curas
Damnosasq; molestias repellat,
Ac demulceat omne, quicquid ægrum est,
Blandos concilians dehinc sopores:
Ceu Nepenthes Homericæ medelæ
Buglossiue medulla temperati.
At non hoc mea tam sapore vinum

Iuvat guttura, nec nova cor intus
Tantum lætitia mihi serenat;
Quantum juniperos olens Iäcchus
Delectat tuus, ô beate Wolfi;
Quem pleno mihi cantharo bibendum
Mittis, non sine carmine eleganti;
Svevas dum jubeo valere Nymphas.
Ut jucundus odor suäve fragràt!
Vt dulcis liquor imbuit palatum!
Vt pelluciduli nitent colores!
Splendens non ita fulgidis sereni
Vel Phœbi radijs coruscat aurum.
Sed quid, dic age, dic amice Wolfi,
Isto munere pro tuo rependam?
Commentor teneræ Lyæus uvæ
Suam care tibi precor juventam
Condonet, viridem suam juventam:
Sic vives benè; sic diu valebis,
Nunquam (Phœbus ut alter) insenescens,
Aut agens juveniliter senectam.

IN ARMILLAS.

PHALÆCIUM XI.

ARmillæ, manuum decus mearum,
Rarum munus Hymettiæ Rosinæ:
Quænam Dædala vos manus parando
Tam scitas nitidasq; perpolivit?
Quænam industrius artifex in urbe
Tanto cum decore elegantiaq;

Fecit

Fecit? fallor, an ipsamet Rosina,
Quæ vix ingeniosior puella est,
Docta has pinxit acu, affabreq́ue finxit?
Haud fallor, quia enim colit Minervam,
Prudens Dedaleæ scienter artis;
Flavos verticis abscidit capillos
Sua sponte, quibus suapte dextra,
Culta Iupiter & laboriosa,
Intertexuit aurecs colores
Mæandrumq́ue reflexibus recurvis.
Dein nomenq́ue suum meumq́ue gemmis,
Baccis lævibus, atque margaritis
Discrevit; medias & heic & illic
Ponens ritè rosas, rosas venustas,
Rosas aureolas, dehinc suo ore,
Mellito ore suo, sibi Melissum,
E bello reducem precante sisti,
Blandè affata, oculisq́ue dulce ridens
In signum ominis, osculumq́ue libans;
Has, carissime mi Melisse, *dixit,*
Armillas digitorum opus meorum,
Armillas manuum decus tuarum;
Vllius digitis nec antè tactas,
Ullius manibus nec ante tritas,
Quin ullis oculis nec antè visas;
Si quid diligis aut amas Rosinam,
Nostri pignus amoris usque gestes,
Nostri munus amoris usque serves.

AD

AD ANDREAM MERGILETUM Alphipolitanum.

PHALÆCIUM XII.

SI nostros mea, qui novem supersunt
Parvi, Francia carminum libellos
Longis haud sinet interire seclis:
Noscet posteritas, scient minores,
Mergilete animi medulla nostri,
In te quantus amor meus fidesq́ue
Cunctos exstiterit dies per ævi.
Leget posteritas, legent minores,
Quanta tu quoque caritate vatem
Sis complexus & usque prosequutus.
Non te diligo, vulgus ut sodales,
Ut Bacchi socialitas alumnos
Aut plebejus amiculos amicus:
Cognatum sed uti suum propinquus,
Et gemellus ut alterum gemellum,
Fratrem frater amat, soror sororem,
Patrem filius, unicumve sola
Mater diligit ut relicta natum.
Imò te (mihi crede, crede) plus quàm
Fratrem semper amavi, amo, atque amabo.
Tam mens candida, tàm fidele pectus,
Tam simplex animus sine arte fraudum
Mergilete tibi est & absq́ue fuco;
Tam morum similis tenor meorum.

Quondam

Quondam nec Pylades amico Oresti,
Nec sine Euryalo comes, nec ipsi
Theseus Pirithoo favore tali
Conjunctus fuit, aut amore tanto
Vix fratres Helenæ, perenne sidus,
Ac qualeis animusve mentibusve
Tam concors pietas fidesq; sese
Inter fœdere copulavit arcto.
Quid caussæ esse rear? puellus infans
Nimirum mea triduo antecedens
Tunc natalia, conscio Decembri,
Es gavisus, uti forem coævus.
Matris deinde meæ sinu recumbens
Easdem, quas ego, vagiens & ipse
Suxisti quoq; lacteas mamillas;
Eosdemq; tenellus imbibisti
Succos, queis ego primulum imbuebar.
Ne vivam, nisi sed mihi vel ipsa
Vitâ carior & meis ocellis;
Ac vita mage si quid aut ocellis
Carum est, quin & eo fatebor, ipso
Hoc (si carius esse quid potest quàm
Quod vita est magis atq; carum ocellis)
Multò carior appetentiorq;
Mergilete sub intimis medullis
Inq; ipso mihi corde totus hæres.
Quis vidit geminos amantiores?

DE

MELISSI

DE MALLIO.

PHALÆCIUM XIII.

PRostabat bonus ille caprimulgus
Alto Mallius in foro Viennæ
Tam vili pretio, minore qvidquam
Vt divendier uspiam nequiret;
Tam parvó raphani licent nucesve:
Illum nemo tamen volebat emtum
Heic quotquot cupidis frequenter illum
Lustravêre oculis obambulantes
Cives patricijq; nobilesq;,
Matronæq; nurusq; virginesq;;
Inprimis manus omnis aulicorum:
Doctores quoq; & artium magistri,
Et qui de baculis vocantur, & qui
Gestant pileolos comis quadratos:
Tonsi deniq; Flamines, quibusq;
Lumbos funis obit macros, itemq;
Plebeij, reliquumq; vulgus, uno
Omnes ore, quid, inquiunt, quid isto
Turpi cum balatrone? si quis illum
Probè noverit, haut emet. facessat
Hinc malam malus in crucem, nigrosq;
Corvos in cruce vulturesq; pascat.
Furem furca decet, rotæ latrones.

PASQVINUS AD SCHEDIUM.

PHALÆCIUM XIV.

Schedi

SCHEDI, *Vulpius ille, quem pudicum*
Quem castum toties & integellum
Coram me socioq; prædicasti,
Illiusq; ferens ad astra laudes
Immutarier heu nequire dixti;
Scorti nescio cujus impudici,
Fœdi, turpis, at usq; purpurati
Illectus nimium nocente philtro
Sectatur meretricios amores;
Instinctu patruelis incitantis
Actus in Babylonios furores.
Haut illius & hujus uxor istud
Ignorant; patitur tamen libenter
Et fert utraq;, ferre quod patiq;
Necesse est, nisi bestiam, ferocem
Bestiam malè concitare ad iram
Velint: cujus ad ædium nefandas
Major confluit indies latebras
Multitudo frequentiore turba;
Olim quantus in annuo Corinthum
Concursus spatio nec esse factus
A me creditur; ad fores & unas
Omnis Græcia Laidos jacebat.

AD
JOAN. LOBBETIUM J.C.
PHALÆCIUM XV.

LObbeti, *comes impiger* Melissi,
Interpres bone Gallicæ loquelæ:

Dum

Dum te querquera febris inquietat
Algorem inter & improbum calorem;
Dum credit stomachus caputq́ languent
Plena humoribus, aridumq́ tussis
Coacto tibi concutit screatu
Pectus: disperéam, mihimet ipsi
Hoc malum nisi perfatiget artus
Aut eodem videar pati dolores.
Iam dulcesq́ joci facetiæq́
Mussant, reddere queis iter solebas
Iucundum & breve, jamq́ risus omnis
Et blandi, quibus afflues, labores
Arent; historiæ silent disertæ;
Nec cantus lepidi vigent, nec artes,
Nuper quas dedit ARA sacra Bacchi,
Lævo littore collocata Rheni.
Abi febris abi, maligna febris,
Infestaq́ homines, quibus cor atrum est,
Qui pro melle vomunt venena. non hoc
Meus commeruit sodalis. at tu
Valetudo redi, redite vires.

RESPONDET
SEBASTIANO SCHEFFERO.
PHALÆCIUM XVI.

QVOD *præsepia rarius frequento,*
Impinguescit ubi recalcitratq́
Effrænus meus ille vector; haut fit
Idcircò, quod abhorreant olentis

Nares

Nares fumidulum fimi vaporem,
Ut de te profitere: cætero qui
Sanè, ceu puto, non equester essem,
Sed quum principis ipsius caballis
Adjunctus stabuletur, auliceq́;
Degat, viscera pabulo refertus:
Vin' diffidere me, quibus ministris
Dux fidit? minus hoc deceret. atqui
Nescis? qui peregrè est, equum saginat
Se præsente; domi saginet absens.
Meus si macer est, aveniperdas
Equos nempe redarguas oportet,
Accusesve macros Ducis caballos:
Sin pinguis; quid eum Sinonis arte
Alvo, callide, comparas Achivæ?
Concedam tamen aridus macerq́;
In tantum sit, ut ossa vix trahantur
Ab ipsa cute; carneum vocare
Quomodo potes? osseum vocares.
At verò neq; in hoc SEBASTIANE
Usurpare licentiam, sed ipsam
Carnem nominitare signa sumis:
Quin & prodigitatis arte fretus,
Tuo non alienior palato
Quam ferventis amantior culinæ,
Sed meis odiosior crumenis;
Magni cornipedem meum valoris
Vili pro fluviatili coquendo

 Flammis

Flammis heu malè destinas cremandum.
Nomenclator es admodum facetus
Et coquus nimis herclè liberalis.

AD C. O.

PHALÆCIUM XVII.

ZONAS hercule perdidi, miserq;
Ægritudine languida fatisco:
Collum fasciola ambit obvolutum.
Fauces has citiusq; fortiusq;
Vah angina nocens præoccuparit,
Quàm matura mea gulam crumena
Argenti numeratio replerit.
An Demosthenis (inquis) argyranche?
Subducta ratiuncula parumper
Trapezita fac hoc, amice, credat.
Certè nec tibi, nec mihi timendum est,
Somnum cura nec ista rumpet ulli,
Ne corrumpere me quis ausit auro:
Æs rarum quia solvit aula Græcis.
Saltem, non Latijs item Kalendis.
O, quam larga suæ tenacitatis
In nos huc fuit, usq; tam sit olim
Suæ prodiga liberalitatis!
Nam nec indigeo & carere malo
Tot farragine parsimoniarum.

AD JOH. AURATUM
Professorem regium.

PHALÆCIUM XVIII.

Aurate,

AUrate, *Aönia decus palæstræ,*
Qui versus numerosior canoros
Tam Grajo pede quam facis Latino:
Quis primus celeberrimæ per orbem
Fundamenta Academiæ locavit
Ad declivia Sequanæ fluenta?
Quis regum Clarias amans sorores
Tot collegia primus instruendo
Sacris hospitium dedit Camœnis?
Quom vel cerno frequentiam scholarum,
Vel claros adeò virosq; doctos,
Concursus hominum vel exterorum;
Aut considero regiam supremi
Saltem magnificentiam senatus:
Vt Demosthenicæ crepent cathedræ,
Vt tot pulpita Tullio resultent,
Multusq; Isocrates Platoq; multus
Creberq; eloquio sonet Pericles;
Vt tot Caussidici, tot Advocati
Verbosum strepitu forum fatigent:
An non in medijs rear Pelasgis
Heic me vivere? non Lutetianam
Urbem mirer ut alteras Athenas?

DE CANTIONIBUS
ORLANDI LASSI, MUSI-
corum nostri seculi facilè
Principis.
PHALÆCIUM XIX.

AMphion lapides rudesq; sylvas
Ut Thebæ coalescerent struendæ,
Permovit resona lyra canendo:
Delphinos cithara feros Arion
Balanasq; suæ favere vitæ
Pellexit moriturus in profundo:
Et testudine blandiente caram
Orpheus Eurydicen nigris ab antris
In hasce elicuisse fertur auras.
Isthæc magna quidem fidemq; fermè
Excedentia sunt, sed ecce majus
Quiddam! Carminibus suis venustis,
Elegantibus, & melodiarum
Plenis, artifices docens magistros,
Orlandus meus ille Lassus omnem
Europamq; Asiamq; traxit ad se,
Ad se traxit & Africam remotam:
Suaves usq; adeo sonat canores,
Dulces usq; adeò canit sonores.

AD JOH. POSTHIUM FRANCONIÆ DUCIS MEDICUM.

PHALÆCIUM XX.

POSTHI candide; si quid universo
Usquam sub Iove pluris æstimandum,
Quàm gemmæ, muri vel uniones,
Aut quidquid pretiosius vel Indi
Vel mittunt Arabes, fretumve rubrum;

Ipsa

Ipsa amicitiæ fides profectò,
Sacrosancta fides inanis expers
Fuci, nescia fraudis & colorum;
Longè pluris ab optimis quibusq;
Censeri pretiosiorq; debet.
In terris tamen illa rara valde est,
Non, castè nisi, non nisi pudicè
Conservanda. prius nigros olores,
Candentesq; sit invenire corvos
Minor pœna. Colamus ergò, Posthi,
Hanc junctis animis fidem, pariq;
Alter alterum amore prosequamur;
Crabronesq; vagos levesq; vespas,
Qui concordibus obstrepunt Poëtis,
Nec Pili *facias nec assis, hoc est,*
Nil moreris, ut invicem frequentes
Rauco murmure misceant susurros,
Blandinam tamen & tui libelli,
Rosinamq; canent mei libelli.

In Bibliothecam Poëticam
CONRADI ALBINI PAtricij Francofortensis.

PHALÆCIUM XXI.

ALBINI *videor mihi videre*
(Quanquam longius absumus) Poëtas
Antiquos simul & simul recentes
Ex succis tineisq; blatulisq;

Comesis saturos abundè: verùm
(Vt res clamitat ipsa) semivivi
Omnes præ nimia siti fatiscunt.
Tu nunc Aonios bibis liquores,
Nunc Albine merum Thyonianum;
Et vates modò Teutonum fatigas
Plenis cymbia potitare labris,
Quæ vel Castalios olent odores,
Quæ vel Franconicas sapore produnt
Vvas; immemor interim tuorum
Quos urgens sitis enecat, librorum
O crudelis! aquamne parcus illis
Ministrare negas aluminosam?
Quid quæso faceres, ubi mel Hyblæ
Aut carchesia poscerent deorum?

AD POSTHIUM.
PHALÆCIUM XXII.

D*VM tu flebilibus modis acerbo*
Rapti funere mœsta Rondeleti
Luges (mæstior ipse) fata, Posthi:
Nos heic ad Ligeris sedemus amnem,
Deflentes querimonijs amaris
Exstincti cineres pios Eberi.
Heu sæva nimis infidele Parcæ
Prædurumq; genus; quid eruditos
Et claros simul invidetis orbi
Viros, lumina seculi, per annos
Dignos vivere Nestoris trecentos?

Nullos

Nullos ah utinam volans ab Albi
Aut falsos mihi nuntios tulisset
Tristis fama; Liger meis nec unquam
Crevisset lacrymis, adhuc nec udi
Plorando miserè mihi ruberent
Ocelli: superaret ipse Ebertus,
Dia & nunc quoq; vesceretur aura.

AD CASPARUM PEUCERUM Historicum.

PHALÆCIUM XXIII.

Ecquid, Leucorei decus Lycêi
Peucere, historiæ tibi inchoatæ
Adhuc texere lucubrationes
Pergis strenuus? ecquid elaboras?
Vestris ah utinam locis vel unum
Præsens esse queam diem, vel horam
Saltem, lux mihi tota si negetur;
Quam multas spatio brevi recensens
Narrarem tibi res & actiones:
Partim, tempore quæ prioris anni
Circa Cæsaris expeditionem
(Vidi scilicet adfuiq; præstò,
Haud parvos tolerans ibi labores)
Infeliciter accidére; partim,
Quæ nunc his regionibus geruntur,
Dum civilia Galliam nefandis
Perdunt cædibus arma, nec rapinis

Est ullus

Est ullus modus. ipse mi vicissim,
Duri quidquid apud Gothæ cruentæ
Actum est mœnia, postmodum referres.
Sed tuus procul Albis (hei) nimiuq;
A flavo Ligeris diremtus amne
Distat; nec potis hinc Apollo densos
Ad te mittere literas per hostes.

AD
JOACH. CAMERARIUM.
PHALÆCIUM XXIV.

FOrtunatè senex, amice Musis
Et Phœbo sacer, & propinque divis:
Quo te nomine prædicem, quibusve
Laudes carminibus tuas ad astra
Extollam celebrans? procul remotus
A vulgi strepitu foriq; turba
Libros inter amiculosq; suaves
In pulchra Philyræ nitentis urbe
Lætus vivis, amans timensq; CHristi;
Tranquillusq; animi beatiorem
Tuto degis in otio senectam,
Donandus rude, debita labori.
Ipsos jamq;, beatè, filiorum
Natos, dulciculos avi nepotes,
Vestri spem generis, domi videre
Gaudes. ut volupe est tibi! quod ipsum
Hoc donum tibi proprium sit, opto.
Nos contra, quibus atra sors molesta est,

Errando

Errando varias per orbis oras
Florem perdimus optimum Iuventæ;
Nec quimus placidâ frui quiete.
Speratave potirier Rosina:
Quin & Mars ferus expulit fugatos
Gallûm finibus. O vicißitudo
Improvisa, neceßitasq́ue fati
Urgens! O pietas avita patrum;
Te propter sumus exules, & hancce
Vitam, de capite heu periclitati,
In discrimine vidimus supremo,
Carpentes medios viam per hostes;
Nec diplomata præstitêre tutos.
At tu, care Senex, pias ad aras
Mecum posce Deûm rogaque pacem,
Vt quæ dira fremunt ubique, cessent
Tandem bella; salus revisat urbes;
Christo sit locus, otium Camœnis.
Sic te nulla tumultuum malorum
Turbet seditio, fert nec ullus
Gradivi furor exulare cogat:
Sic vivas benè: sic agas quietam
Curis liber ab anxiis senectam.


IN ANNOS CLIMACTERICOS LUSUS.

PHALÆCIUM XXV.

JAM nobis iterum (bonum sit opto)
Quanquam non sine maximis periclis

Climactericus *est peractus annus,*
Fatales numeri, quibus regendum
Vitæ curriculum dedit supremus
Naturæ sator ; O me ô sinistrum
Quod porrò capiti timemus, omen
Hinc avertite : quidquid & molestum
Aut durum fore nostis aut acerbum,
Per clementia mitigate quæso
Iovis Mercuriiq; Cynthiiq;
Et Lunæ Veneruq; gratiarum
Plena lumina. Mars recondat ensem,
Saturnus posito rigore falcem.
Sic vobis ego circuli per orbem
Septem constituam globos quotannis ;
Quorum, si pote, singulos novenis
Coronabimus undiquaq; sertis.
At si me Libitina dat sepulchro,
Promissi reus antequam satis dem ;
Pro me Scaliger *hoc meus coronet,*
Tersæ Scaliger *artifex loquelæ,*
Gnatus inclytus inclyti parentis.





PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI EARINΩN LIBER II.

CYGNI QVERELA.

PHALÆCIUM I.

HEU, heu! men' oculis videre posse
Partus mons triferos, nec emoriri?
Ementita rubrum croci colorem,
Quæ caßita vocatur, ales illa
Enixa est aquilam nigram, trifaucem;
Hæc pullos mihi devoravit omnes,

Pullos

Pullos innocuos & immerentes.
Mox & grypha Leunculumq́; natos
Ex ovis aquilæ, meam secundò,
Deglutisse queror querarq́; prolem.
Alter (nec moror) hostium duorum
Vulpem postmodò fraudis architectum,
Alter progenuit lupum rapacem;
Qui vellus niveum measq́; plumas
Et morsu lacerant & ungue vellunt:
Milvinas habet ungulas uterq;.
Heu, heu! mené pati, videre mené
Monstrosas suboles, nec emoriri?

AD

AD GEORG. SCHREGELIUM.

PHALÆCIUM II.

MOntosam colo dum Vesontionem
Ad Dubis liquidas strepentis undas:
Abs te nocte dieq́;, mi Georgi,
Quo fallam grave tempus, aut Latinum
Aut Graium cupio venire carmen:
Sed tu protrahis indies morando,
Ac desiderio tenes flagrantem
Legendi tua metra. quin satis fac
Illis pollicitis tuis, datamq́;
Conservare fidem memento. versus
Haud longos peto, sed breveis & aptos;
Pagellam tamen integram replentes:
Vt quem diligo quemq́; amo libenter,

Noscam

Noscam te penitißimis medullis,
Ex ipsis velut unguibus leonem.

AD BOISSARTUM.

PHALÆCIUM III.

LImas dißimiles habent Poëtæ
Diversos veluti fabros sequuntur.
Ne Boissarte mei novem libelli
Non poßint variis nitere gemmis,
Unionibus atq; margaritis;
Multos aurifices labore vinco.
Tu versa vice pendis uniones
Parvi, deq; tuis tribus libellis
Gemmas eximis atq; margaritas,
Vincens artifices labore multo.
Nimirum (quis enim tibi reclamit?)
Baccatum satis æstimas poëma,
Grandes absuerint ubi coronæ
Lima quas resecare gestit. O quàm
Scobs abradier ista digna visa est,
Quam non rodere quit Melissomastix.

AD NICOLAUM CLEMENTEM TRELÆUM.

DODECASYLLABI.

PHALÆCIUM IV.

NON

NON externa sed interiora quaerit
Boissartus meus ille, suos libellos
Eunuchos faciens, faciens spadones.
Cultellos amat immodicè secantes;
Castrat Pontifices malè Caesaresq;.
Clemens, dic age dic nimium severo,
Ut clementius immeritos libellos
Tractet. quàm metuo (metuine & ipse?)
Si perrexerit, ut lubet, exparrando,
Ne Phoebum Charitesq; sacrasq; Musas,
Ne cunctas Veneresq; Cupidinesq;,
Ne castret quoq; virgineam Minervam.

PRO FRANCISCO PORTO Febricitante.

PHALAECIUM V.

EHeu! quo meus usq; languefacto
Portus corpore, lectulo cubabit?
Febris pessima quamdiu misellum
Torquebit, toties suo recursu
Immutata vicem? Salus adesdum,
Integerrime flos ades vigoris;
Tu formae decus & medulla vitae.
Si tam prospera, fausta, tam beata es
Et felix, ut es hercle, sic ut istis
Nil accedere commodis potissit:
Aut aegrum volo, plus satis peresum
Morbo, quàm sua membra sint ferendo,

Carea

Cures restituasq́; sanitati,
Addens robur & auctitans vigorem:
Aut (ignosce Salus, quod ajo) certè
Febrim dixero te valentiorem,
Et fortem magis ac magis potentem,
Quid cessas age; quid rogo moraris,
O morbi domitrix, febrisq́; victrix?
Gratus pro meritis memorq́; tantis
Autori Domino salubritatis
Iam soteria Portus *ecce sacrat.*

AD
FORTUNATUM CRELLIUM
Carinthum.
PHALÆCIUM VI.

FOrtunate, quid humidas abundè
Refers Utenhovi *mei papyros,*
Et Pallantiados meæ papyros,
Multis carminibus novis refertas?
Totæ namq́; madent foris & intus
Rore. fallor, an has liquore lymphæ
Hippocrenidos uvido rigavit
Non pol una, sed aut novem sorores,
Aut ternæ Charites, decensq́; Pallas,
Aut vatum Pater atq́; Dux Apollo?
Sic est. quin etiam salubris illas
Adspersit Iovis unda, delibutas
Succis mollibus, ætheris medulla.
Fortunate, *ter & quater beatum*

Sito

Si te judico, qui sinu fideli
Has Pallantiados Utenhovijque
Dignus ferre repertus es papyros:
Annon me reputes beatiorem
Qui tam dulciculas legam papyros,
Qui tàm candidulis fruar papyris?

AD CAROLUM UTENHOVIUM C. F. Patricium Gandavensem.

DODECASYLLABI.

PHALÆCIUM VII.

TUAS *delicias vocitas* Melissum;
Meas illecebras ego te vicißim
Dulcis Carole *nominitabo. nunquid*
Hoc ipsum poteris prohibere? quippe
Tu quas illecebras mihi captiosas
Remittis, faciunt pol, ut eruditæ
Hæc Pallantiadi metra dedicare
Ausim. Perleget hasce meas puella
Nugas, & mea somnia næniasq;
Ridebit: mea ludicra fabulasq;
Ridebis quoq; tu pater Atticarum
Iucundißime Carole *suavitatum.*
At scito, licet ex apium volanteis
Alvearibus, egregijs Cachinnis
Tales excipias (ut & ipsa) lusus;
Tales me revocare nequire lusus,
Alvearibus ex apium volanteis.

Liber

Liber dum vaco mole negotiorum,
Curis sepositis gravioribusq;
Rerum ponderibus; tibi quando sanè
Quod cantem nihil est, nihil herclè præter
Has meras tibi canto Melissitates.

IN DEXTRAM JOHANNAE PALLANTIAE Virginis nobilissimæ, PHALÆCIUM VIII.


Dextra candidulo nitens colore,
Quâ nec lac magis albicat vel ipsum,
Nec fulgentior est nitor nivalis;
Dextra purpureis serena venis,
Dextra lineolis decóra vivis,
Dextra coraliis amicta rubris;
Pallas cui teretes, leves & aptos
Et longos digitos & elegantes
Formavit, resonam Chelyn moventes;
Qualem Pierii chori magistræ
Plectris dulcibus increpant canendo:
Salve terq; mihi quaterq; salve
O Pallantiados manus Iohannæ:
Salve te ô digiti, tenellulorum
Palmæ more modoq; ramulorum
Vernantes. Manus illa (amabo) tune es,
Doctos Utenhovi *perita versus*
Descriptos dare tàm typis amœnis,

Typis splendidulis, typis venustis?
Tune es illa manus, meos recenteis
Psalmos vertere gnara, tam disertâ
Linguæ duplicis elocutione?
Hinc sunt digiti illius puellæ,
Quæ vel judice vicerit Minerva
Auroram rubicundulis labellis,
Cyprin flammeolis suis ocellis?
Certè hi sunt digiti ipsius puellæ,
Musarum Charitumq; pulchriores
Pulchellis digitis: fragrantiores
Et rosis violisq; liliisq;
Leni quæ Zephyri tepentis aura
Mulcentur viridissimis in hortis.
Certè hæc est manus, omnibus quot exstant
Magis roscida roribus marinis,
Magis florida floribus sativis,
Magis candida candidis ligustris.
Certè hæc est manus, Indicisq; gemmis
Et cunctis pretiosior lapillis,
Gaza quos Arabum beata gignit.
Ganges aureolas Tagusq; volvunt
Arenas: manus aureis arenis
Hæc mi carior est eritq; semper;
Tantò carior est eritq; semper,
Quantò rarior æstimatiorq;
Manûs hæc manus antecellit omneis.
Hac ipsa tenuit liquore vini

Pocillum

Pocillum mea Nympha delibutum,
Tuis Carole *quod mihi Kalendis*
(Quamvis millia multa tunc abessem)
Propinavit amore vinciendo.
Quid me quid vetat hancce basiare
Dextram? Num vetor osculis amicis
O castißima virginum Iohanna,
Tua tangere vix suprema palmæ?
Te te suavior, ô manus tenella?
Bis te suavior, ô sacrata dextra;
Ter te suavior, ô amanda palma.
Cur te subtrahis (ab) labris Melissi,
Cur te subtrahis ô manus venusta?
Hanc prius tamen ecce svaviatus
Sum, quàm retraheres, sinu reducto
Versus pectus heræ tuæ pudicum,
Istam molliculam, lacerte, dextram.
O suaveis digitos manus fragrantis!
O vos articuli thymo madentes!
O blandum cubitumq; brachiumq;!
O bellißima vincla vertebrarum!
Eheu deciperis nimis Melisse:
Haud Pallantiados manum Iohannæ
Osculatus es; Illius sed umbram
Saltem, quæ modica vigens papyro
Picturæ specimen tibi reliquit:
Absens quàm procul à tuo remota est
Nunc Pallantias illa Myrtileto?

Quid tum postea? forsitan licabit
Præsentem (modò vivat) intueri
Olim, basiolumq; delicatæ
Figendum dabitur pudenter atq;
Honestè manui. Interim propinquam
Umbellam volo basiare dextræ,
Tam gratam mihi, quæ manum remotam:
Hanc tamen videor videre coram;
Scitos usq; adeò typos figurat,
Figuras adeò fabrè ipsa format,
Formas usq; adeò decenter ornat.
Quin votis superos simul precabor,
Ut tibi benè sit, manus salubris;
Et vobis, digiti, benè ac beatè.
Sic ô sic digitis manuq; salvâ,
Nec solum digitis manuq; salvâ;
Membris sospitibus sed universis,
Nec non incolumi vigore mentis.
Et tu flosculae castitatis, ingens
Musarum decus atq; gratiarum,
Virescens valeas perenne, vatis
Melissi *memor usq;; & eja fias*
Tantò doctior omnibus puellis,
Tantò & cultior omnibus puellis;
Quantò pulchrior omnibus puellis,
Quantò es clarior omnibus puellis.



AD C. UTENHOVIUM, C· F.

Phalæcium IX.

Visus sum mihi nuper Utenhovi
Candidißime, languefacta Musis
Somno molliter irrigante membra,
Herbas inter & arbores comanteis
Susurrantibus hinc & inde lymphis;
Non in Alcinoi quidem viretis,
Non in Hesperidum fragrante sylvâ,
Non in Elysiis deambulare
Campis; sed Paradisiis in hortis,
Quales primigenio fuere ab ævo.
Aram conspicor intimis nitentem
Penetralibus; hanc utrinque cinctam
Vestibant ederæque laureæque
Et myrti, pretiumque juge palmæ
Victorum, & pretiis nemus racemis.
Iuxta cedrus erat virens amœnum
Odoris foliisque frondibusque:
Hei tot nomina, tot laboriosa
Anagrammata floridis videres
Sculpta in corticibus, quot hac reperti
Tempestate sub Italoque cœlo
Germanoque vigent probi Poetæ:
Et quot docta viros honestiores
Francogallia consecrat Camœnis.

Inter cætera tale deprahensum
Est; Victurus Honos vale, *quod ipse*
Clemens fixerat ex tui figuris
Clari nominis. Inclytam sed Aram
Perlustrans, alabastra pura sensi
Ex vivæ & solidæ nitore cretæ,
Scapis hoc titulo brevi striatis;
Hæc Ara est sacra candidis Amiciæ.
Nil hac candidiusve puriusve,
Nil hac tersius elegantiusve,
Nil hac lucidius politiusve
Usquam Carole vidimus Locorum.
Inscriptum memini tuum meumq;
Et Pallantiados tuæ meæq;
Nomen aureolis notis decorum.
Hinc, incisa tholo recens, tuorum
Fratrum insignia patrueliumq;
Tantum præ reliquis serena lucent;
Quantum Tyndaridæ, gemella celso
Splendent astra polo, volansve Cygnus.
Demum cernere erat loco supremo
Longævi senis, optimi parentis
Vestri, grandibus implicata thyrsis
Prisco stemmata Belgio creata.
Dum miror, tenuis meos ocellos
Linquit somnus. At ecce fortuitò
Fortunatus adest, tui favoris
Candoris q; mei gerens tabellas,

Testes

Testes pectoris utriusq; nostrum.
O suavissima Somnij Magistra
Quies; futilis haud tua est imago,
Falsa nec species fores eburnas
Lusit. Carolus en meus sodalis
Verè candidus est, teres, rotundus;
Verè fidus & integer, piusq;
Ac sincerus: Idipsum imago rerum,
Idipsum docuit typi character.
At tu Carole pervicace porrò
Serves hanc animi tenore mentem;
Sum facturus idem tuus Melissus.
Illibata fides, basin sub imi
Cordis scriniolis perennè firma,
Est Altare, sacrum bonis amicis.

DIALOGUS
DE PETRO LOTICHIO SECUNDO.
PHALÆCIUM X.

MUSÆ, noster amor, novem sorores;
Heic quænam in medio salubris horti
Ad Nicri liquidum strepentis undas,
Novis frondibus arbores virescunt?
Lotos, myrtus, & alma laurus. At quæ
Succrescunt simul herbulæ sub umbrâ?
Nardus, mollis amaracus, marisq;
Ros. Florum quis odor bonus fragrantum
Adspirat? Violæ rosæq; suaves,

Alba & Lilia. Qui fluunt liquores
Exsultantibus hinc & inde rivis?
Liquor nectaris atq; mellis atq;
Lactis. Quæ volucres sonora circum
Linguis ora loquaculis resolvunt?
Psittacus, Philomela, cygnus, unà
Iunctis vocibus accinunt Poëtæ,
Poëtæ tenero, pio, modesto.
Quisnam est ille tener, pius, modestus?
Petrus Lotichius Secundus: *huic nos*
Trinis circa tumulum sacramus aras.
Quis custos tumuli? Venus Paterq;
Vatum Phœbus, & ana gratiarum.
Ararum quis? amiciore vincti
Nodo pectora, Posthius, Trelæus,
Et tu præcipuè Melisse *noster.*
Salve ergò mihi ter quaterq; salve
Et vale Petre Lotichi Secunde,
Cui tam nobile contigit sepulcbrum:
Tuq; ò noster amor, novena turba
Fac manes placidè cubent Secundi.

AD ERASMUM NEUSTETERUM

cognom. Sturmerum, Eq. Francum.

PHALÆCIUM XI.

E*Volvit niveum meum Libellum*
Ater Zoilus, hactenus legendo,

Nostra

Nostræ carpere quidpiam Camænæ
Mordacissimus: At malè est, Erasme,
Illi; tàm malè, quàm benè est Melisso.
Frendens dentibus, & caput superbum
Quassans, inq; rotæ modum requassans,
Quanquam nil, ait, invenire possum
Quod queam meritò calumniari:
Ne sim dissimilis tamen meorum,
Sed morbos animi perinde prodam;
Hoc ipsum, reperire posse me nil
Tantillâ repræhensione dignum,
Cujus sum meritò calumniator;
Ipsum scilicet hoc calumniando
In me Zoilus ipse criminabor.
Pulchrè Zoile convenis tibi ipsi,
Lactucas similes habens labrorum.

AD
FR. PORTUM CRETENSEM.
PHALÆCIUM XII.

QVEI *fit* Porte, *senentium Cygnorum*
Candidissime Cygne; quei fit, inquam,
Ut præter reliquos homunciones
Ah ab immeritissimos alumnos
Musarum Charitumq; Palladisq;
Necatos velit ægritudinumq; &
Morborum genus omne pestilentum?
Vix te febris, inauspicata febris.

Tandem liquit, in Adriæ profundum
Relegata: Sed ecce pestis illa,
Illa pestis amarior cicutis,
Colchicoq; nocentior veneno,
Trux quartana, malis quotidianis
Vexat Scaligeri *caput,* Minervæ
Sedem; pectus, Apollinis *sacellum;*
Linguam, Thespiadum *meram scatebram.*
Adsis ô, Iuvenis senex medendo
Cretæa panaces dature ab Ida;
Divam quale pio salubre germen
Ferunt Idaliam dedisse nato.
Sed tam lenibus, illa non movetur:
Frustrà quærimus herbidas medelas.
Quòd si Porte *avus es, paterq;* Beza,
Si proles Stephanus *novem sororum,*
Quod si Scaliger *est nepos sororum,*
A quo doctior orta erit propago:
Omnes unanimi phalange vires
Quæso promite, frigidamq; febrim
Iußis sedibus emigrare tardam,
Et tot Pharmaca sæpè despuentem,
Ejectum simul ite, ceu meretur:
Quæ tantò minus audeat reluctans
Contra quatuor una dimicare;
Quantò infirmior unus est duorum
Hercules grave sustinere bellum.
Eja Porte *cie manus ad arma*

Pugnator

Pugnator veterane. nam profectò
Hæc dum injuria tanta vindicatur,
Et vesterq́, meusq́, confovetur
Iosephus, lepor ille Gratiarum;
Defensas datis & novem Camœnas,
Et servatis Hyantidum nepotem,
Et quos ille creaverit nepotes.

AD NICOLAUM RUDINGERUM Pisovernatem.

PHALÆCIUM XIII.

LEgis juridicæ foro diserto
Adductos studeo tenore voti
In nostræ numerum sodalitatis
Aggregare; sed aut verentur ut stent
Pactis, aut metuunt sibi futurum
Hoc fraudi. Siquidem Ducum per aulas
Nullis esse ferè locum relictum
Ajunt, ni didicisse censeantur
Potare egregiè; nec (ut probatum est)
Doctores alios suis in aulis
Quosdam posse libentius videre
Quàm scitos genialiter bibendi.
Cæterum fieri nequire dicunt,
Vt qui grande obeunt negotiorum
Pondus, sæpius hinc & inde missi,
A multo sibi temperent Iaccho
Largè quem proceres nimis propinent.

Facessant

Facessant mihi, Nicolaë, *tales*
(Quos abominor usq́ꝫ) combibones,
Sive Iuris erunt peritiores,
Sive stemmate nobiles equestri,
Sive consiliarij, frequente
Quassi tempora crapula. facessat
Quisquis persimilis sui laborat
Esse, sobrietatis, inquinator
Et justæ violator æquitatis,
Pauci simus, & invicem colamus
Hæc consortia nostra, temulentæ
Hostes ebrietatis & choreæ
Bachantum. cerebrosa multitudo
Frendeat licet & fremat furendo;
Silenos Satyrosq́ꝫ nil moremur,
Nec pili faciamus ebriosos:
Sed per ludibrium licenter illos
Insectemur, & omnibus cachinnis
Rideamus. erunt (opinor) olim
Quidam carmina nostra lectitantes;
Queis si verba DEI *severa nullum*
Forsan inijcient sui timorem,
Hi saltem, meritò quibus rubescant,
Versus incutient mei pudorem.

AD EUNDEM RVDINGERVM.

PHALÆCIUM XIV.

Rudin-

Rudingere *quid hic agam locorum*
Gelatæ glacie rigente brumæ,
Noli quærere. Posthium *frequento*
Emunctæ nitidus Poeta naris,
Cui brumalis hyems rosas Decembreis
Vernis educat elegantiores
Rosis Idaliis fragrantiores,
Rosis Pæoniys salubriores:
Quinta quas ubi cellula cerebri
Odorere sagax, statim quaterna
Milliaria gesties vorare;
Adspectu modò talium rosarum
Donetur tibi suaviter potiri,
Sobrioq; frui sodale bino;
Qui suspendere vulgus ebriosum
Iam promuscide callidi redunca,
Quam (ceu bubalon annulis, equumve
Frenis) percupidi sumus trahendi
Temet naribus. En, mei theatri
Iam proscenia lota sunt aceto,
Orchestræ quoq; pulpitum renidet
Tectum ippariis tapetibusq;,
Vacerræq; superbiunt amictu!
Soccos arripe Nicolaë, *soccos*
Leveis arripe, non graveis cothurnos:
Nasuti quia te dicaculiq;
Præstolantur, ad uvidum morantem
Nodoso pede Tubari fluentum.

At quum

At quum te dabis in viam, caveto
Ne nasi tegimen domi relinquas:
Plagis frigus ab Arcticis acutum
Valdè more novaculæ secantis,
Immisit Boreas, Pater Rigoris.
Futurum est (mihi crede) cætero qui
Neglectis monitis meis, ut ad nos
Aut nullum referas Poëta nasum,
Aut tumoribus algidis obesum:
Sic nec olfacies rosas, nec ipsi
Scenæ conspicieris absq; naso.

AD
HENRICUM STEPHANUM
Parisiensem.

PHALÆCIUM XV.

Morem præter in extima papyro
Compellatus, epistolam legendo
Risurus fore sum tibi æstimatus:
Hæc opinio te nimis fefellit;
Certè pol lacrymas meras profudi.
Si coram, Stephane, *expeditus esses;*
Vdum fletibus hercle me videres.
Lustrans emporiumq; nundinasq;
Et consortia mercimoniorum,
Subter Posthii melißiam tabernam,
In tam ridiculum & iocis refertum
Funus sobrius incidi madusæ;
Vt luctu calicum capedinumq;

Et risu

Et risu Venerum Cupidinumq́;
Cachinnatio me ferè enecarit.
Hinc quantò gravioribus lienem
Concußit mihi rex meri cachinnis;
Tantò emotio copiosiores
Excußit lacrymas meis ocellis.
At cessante profusiore risu,
Quum sub calce supinus attigissem
Literas avidißimè legendas;
Dulcamára aqua sive amaridulcis
Labens per bivium genæ gemellæ
Absterg, ter & amplius poposcit.
Si ridere tuum dehinc Melissum,
Si præpostera vis Parodiarum
Vt, Henrice, *reciprocè rependam;*
Tales sæpè mihi remitte luctus:
Quid his lætius est alacriusve?

IN
FRANCOFORDIENSIS EMporij Encomium, ab H. Stephano scriptum.

PHALÆCIUM XVI.

THersiten alius febrimq́; laudet;
Hic injustitiam, ferum ille Nili
Regem prædicet hospites necantem;
Alter calvitij sit, iste muscæ
Laudator Parasiticæq́; vitæ:
Commendent alij boves ovesq́;, &

Barbas,

Barbas, stultitiasve, pulicesve,
Et si quæ paradoxa gloriosè
Quærunt in tenui labore docti.
En dum tu Stephane *elegantiori*
Francorum emporium stylo celebras,
Verè Francigena esse noscitaris,
Antiquum patriæ decus sonando,
Nec tam præripis æmulis honorem;
Quam fers Teutonibus tuis honorem;
Qui non hanc modò notior per urbem,
Sed totum quoque transvolabit orbem.
Sic pennis celeber vehére famæ,
Quam fecit tua penna clariorem.
Ecquid nobilius dehinc petissas,
Si laudem comes insequuta laus est?

IN
FRANC. HOTOMANI JURIS-consulti Francogalliam.

PHALÆCIUM XVII.

QValis aut viridis nitet Smaragdus,
Aut qualis rutilus micat Pyropus,
Gemmas inter & Indicos lapillos:
Talis iste tuus recens libellus,
Auro splendidius, enitet micatque
Inter historicos meos libellos.
Meis nec minùs allubescit ille
Francis, quam nequit haud placere Gallis,

Publicum

Publicum patriæ statum tueri
Fervidis, veterumq; jura legum.
Quas ex historiæ scatente fonte
Ad incendia Galliæ flagrantis
Restinguenda refers aquæ sitellas,
Libertatis amator & patrone;
Num sint de nihilo? pares & alter
Quispiam studiosiore cura
Item tertius urnulas ministret;
Sedatum dabitis furoris ignem.
O si bella quiescerent Enyûs,
Cruentissima bella turbulentæ
Enyûs, Hotomane, *denuoq;*
Pax inviseret arva Gallicana:
Flos priscæ revirescere juventâ,
Flos novæ revirescere senectæ.

AD JACOBVM CVIACIVM Jurisconsultum.

PHALÆCIUM XVIII.

Astrææ redeuntis antecessor
Cujaci, *Themidosq; restitutor:*
Fama crebruerat per hosce tractus
Scholam, morte tua, Valentianam
Orbatam duce pravio. querelas
Audivit Nicer audijtq; Rhenus
Multorum celeberrimûm virorum;
Et quos Spira tenet, tenentq; nostrâ

 Fori

Barbas, stultitiasve, pulicesve,
Et si quæ paradoxa gloriosè
Quærunt in tenui labore docti.
En dum tu Stephane *elegantiori*
Francorum emporium stylo celébras,
Verè Francigena esse noscitaris,
Antiquum patriæ decus sonando,
Nec tam præripis æmulis honorem;
Quam fers Teutonibus tuis honorem;
Qui non hanc modò notior per urbem,
Sed totum quoq; transvolabit orbem.
Sic pennis celeber vehére famæ,
Quam fecit tua penna clariorem.
Ecquid nobilius dehinc petissas,
Si laudem comes insequuta laus est?

IN
FRANC. HOTOMANI JURIS-consulti Francogalliam.

PHALÆCIUM XVII.

QValis aut viridis nitet Smaragdus,
Aut qualis rutilus micat Pyropus,
Gemmas inter & Indicos lapillos:
Talis iste tuus recens libellus,
Auro splendidius, enitet micatq;
Inter historicos meos libellos.
Meis nec minùs allubescit ille
Francus, quam nequiit haud placere Gallis,

Publicum

Publicum patriæ statum tueri
Fervidis, veterumq́ue jura legum.
Quas ex historiæ scatente fonte
Ad incendia Galliæ flagrantis
Restinguenda refers aquæ sitellas,
Libertatis amator & patrone;
Num sint de nihilo? pares & alter
Quispiam studiosiore curâ
Item tertius urnulas ministret;
Sedatum dabitis furoris ignem.
O si bella quiescerent Enyûs,
Cruentissima bella turbulentæ
Enyûs, Hotomane, denuoq́ue
Pax inviseret arva Gallicana:
Flos priscæ revivesceret juventæ,
Flos novæ revivesceret senectæ.

AD
JACOBVM CVIACIVM
Jurisconsultum.
PHALÆCIUM XVIII.

ASTrææ redeuntis antecessor
Cujaci, Themidosq́ue restitutor:
Fama crebruerat per hosce tractus
Scholam, morte tua, Valentianam
Orbatam duce pravio. querelas
Audivit Nicer audijtq́ue Rhenus
Multorum celeberrimûm virorum;
Et quos Spira tenet, tenentq́ue nostrâ
A 2 Fori


Fori juridici lycéa. quin &
Luctus ingeminans acerbiores,
Et fletus duplicans amariores,
Fatis ipse tuis gemens parabam
Funebres elegos: sed ecce noster
Ille Cnibbius *eximit levatq;*
Perculsis animis graves dolores,
Te jam convaluisse nunciando
Transmissam per epistolam recentem.
Pro tam significatione læta,
Pro felice relatione chartæ,
Pro lectis modò nuntijs beatis,
Ecquidnam potero tibi referre
Cnibbi? *vivit adhucne doctus ille*
Interpres veteris noviq; Iuris,
Qui demortuus ipse jam sub umbras
Dicebatur? adhucne vivit ille?
Certè vivit: & hoc enim Melissi
Carmen perlegit ore gestienti,
Exsultans, & amat meæ Thaliæ
Toto pectore gratulationem.
Evax! usq; vale salute parte
Cujaci, *memor & tui* Melissus
Ut sit adspice; qui bonos amicos
Æquè quàm proprios amans ocellos,
Plus te amat proprijs suis ocellis.

FINIS.



PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI MISCELLORUM

LIBER PRIMUS.




AD PAVLVM MELISSUM SCHEDIUM.

NON equidem miror si nunc taciturnus oberras,
Haudq; placent illi qui placuere joci.
Quid mirum? in doctis es totus, PAULE, Camoenis:
Totus ibi est animo, mens ibi tota tua est.
Fallor: habes potius totas in pectore Musas:
Hoc tua foeta illis carmina namq; probāt.

Henricus Stephanus.





AD FRANCISCUM PORTUM CRETENSEM.

Carmen I.

Suave mihi quondam cupida profitentis Homerum
Vinsemij placitos aure bibisse sonos.
Suave quoq; & Portum nunc auscultare legentem
Aurea divini carmina Mæonidæ,
Suavius at multo est, quod melle fluentia dulci
Ora senis Pylij candide Porte *refers.*
Quid loquor? ô Pylios tibi det modo Iupiter annos,
Emoriar, nisi tu jam mihi Nestor eris.

AD EUNDEM PORTUM.

Carmen II.

Si quid, Porte, *volubili rotarum*
Vagantem orbe Deam foret rogandam,
Cujus nos duo compotes futuros
Jurarent tripodes Apollinares,
Sponderent & idem novem Sibyllæ,
Sortes Deiphobeq; comprobaret:
Dic sodes, age dic, quid ipse, quidnam
Fortunam peteres? Ego hercle nolim
Nec Cæsar fieri, nec Imperator,
Nec Rex Hesperiæve Galliæve,

Nec Tusci dominus maris solive.
Romanus neq; Pontifex creari
Optarim stolidè, minusq; multo
Persarum satrapes velim saluter,
Nec non nescio quid. Quid ergò tandem
(Inquit) vel fieri vel esse malis?
Nil te celo. Poëta musicusq;:
At non optimus omnium Poëta,
Vt nec pessimus omnium melodus;
Sed saltem (nisi me vetes profari)
Dulcis musicus & Poëta suavis.

FRANCISCI PORTI RESPONSUM.

CARMEN III.

MELLITE, optime Musice & Poëta,
Quid votis superos tuis fatigas,
Vt sis Musicus & Poëta dulcis?
Atqui es: hoc mihi crede, crede cunctis
Qui legunt tua carmina & stupescunt,
Quive ab ore canentis usq; pendent.
Quare desine Paule, nec fatiga
Phœbum, cætera numina & deorum;
Et bonis fruitor tuis quietus,
Contentusq; tua beate sorte
Mellite, optime Musice & Poëta.

GEOR-

GEORGIVS AURELIVS
AD
P. MELISSUM POETAM
Laureatum.

CARMEN IV.

Redde mihi numeros, dicebam, redde Melisse,
E gelidis animum sensibus & genium;
Insere meq; tuis adytis temploq; sororum:
Sic eris æternum magnus Apollo mihi.
Desine velle, pudor monet; A præsepibus arcet
Ignavum fucos ista Melissa *pecus.*

MELISSI RESPONSVM.

CARMEN V.

Rectè equidem. nam ceu sine fuco noscor amicis,
Alveolis fucos sic mea pellit apis.
In te fucati nihil est: Sed gnaviter auctas
Verus Aristæo melle Colonus *opes.*
Cumq; deis æquent te cedrina templa dearum,
In ceris Genius cur avet esse meis?

HIERONYMO VVOLFIO
&
SIMONI FABRICIO
Franco.

CARMEN VI.

NON ego nunc apium sum cuspide fixus acuta,
Nec mea depascens corpora morbus habet;

Debita Cæsarea neq; me remorantur in aula
Munia, non studiis Musa severa suis:
Quod nequeo conviva epulis accumbere vestris,
Hænzelijq; *frui dulcibus alloquijs.*
Ora sed heu carpentis iter mea ventus adußit
Frigidus algenti qui vel ab Alpe venit,
Qui vel Hyperboreis sævum bacchatur ab oris:
Ambiguum, sit utri culpa ferenda reo.
Hoc certum est, acri nimis intumefacta rigore
Hirta mihi duro cortice labra tegi.
O si aliquo Phœbus succo vel mitibus herbis,
Quam memini puero ferre, tulisset opem;
Non ego colloquijs vestris dapibusq; carerem.
Hoc est, quod solo cum Lare tristis ago.

H. VVOLFIVS jocosè respondet.

CARMEN VII.

TE *nec apis pupugit; Boreæ, neq; frigus adußit,*
Vulnera nec Bacchi fecerit ista liquor.
Unde igitur tumor oris, & hulceris ardor iniqui?
Paule *tibi hoc Xenium sæva puella dedit.*
Partenopipa cave; roseo latet anguis in ore:
Ne graviora feras, Partenopipa cave.
Non tamen idcircò dulces vitabis amicos,
Quos tuus adspectus colloquiumq; juvat.
Spicula cui non fixit apis, sed tela cupido;
Paule *mihi salve,* Paule Melisse *vale.*

AD

AD LAURENTIUM DYRNHOFERUM NORIBERGENSEM.

CARMEN VIII.

CUI quæso lepidas, pias, venustas
Cui donat mea Musa cantiones,
Expreßis modò jam typis novatas?
Laurenti, *tibi. Namq; musicorum*
Et gaudes studiosus esse vatum:
Quin jam tum quoq; floridis ab annis
Lusus esse aliquid meos putasti,
Nondum cum tibi cognitus fuissem,
Nec cantus gelida meos sub Arcto
Applaudens pater Albis audijsset;
Albis latus amabili canoros
Paßim flumine nutriens olores.
Quare quidquid id est melodiarum
Nostri pignus habe tenax amoris,
Qui longo maneat perennis ævo:
Ac quod Symbolon è sacris petitum
Usurpare soles; ubiq; & usquam
Votis eveniat tuis precamur.
Sic consors ego particepsq; voti
Unam, quam petij Deum, requiram:
Qua si non potiar, mori necesse est.

LAVRENTIVS DYRNHOFER P. MELISSO SCHEDIO.

CARMEN IX.

SCHEDI, Symbolon è sacris receptum
Uti quo soleo libris, ubiq;
Votis eveniat meis, precaris.
Sic consors ego debitorq; voti,
Unum quod petij Deum, requiram;
In sancta Domini domo beatus
Ut vivam innumerabiles per annos;
Ut dulci liceat frui quiete
Inter delicias sacras latenti,
Impollutaq; templa visitanti
Puro corde DEI vacare verbo.
Sub tentoria namq; tuta ductum
Me cura Dominus fovet benigna.
Duris tempora dura cum periclis
Afflictum & premerent dies maligni,
Texit solicitæ manus sub umbra,
Curaq; occuluit DEUS fideli:
Excelsum statuit, suæq; firmos
In Petræ excubijs pedes locavit.
Hoc unum petij DEUM, requiram;
Quod si perfruar, haud mori necesse est.



N. REUS.

N. REVSNERVS LEORINVS P. MELISSO IN GALLIAM profecturo.

CARMEN X.

QVænam te fortuna mihi, quod ſidus iniquum
Invidet, ô animi pars quota Paule *mei?*
Quis mea, quis tua vota moratur? ſimus ut una
Quæ mihi quæ tantum, quæ tibi culpa nocet?
Paule *novenarum lux admiranda ſororum;*
Nil me, nil equidem te meruiſſe reor.
Te DEVS *ire jubet: ſuperis cedamus oportet:*
Fortiter eſt aliquid triſtia poſſe pati.
Scilicet interdum miſcentur triſtia lætis:
Difficili pulsâ, mollior aura venit.
I amor, I noſter; felicibus utere fatis:
I ſoſpes; Pylios & mihi vive dies.
Vive mei memor, & conſtanter dilige amicum:
Munera, ſi modò me diligis, ampla fero.
Si maneamq; tuus, meus es velut atq; manebis;
Me tibi perpetuus, te mihi ſervet amor.
Fidus ero, dices; nec amoris tædia cœpti
Ulla feram, mea dum ſpiritus oſſa reget.
Tu quoq; (ſi benè te novi) me ſemper amabis;
Oblitus poteris nec ſemel eſſe mei.
Audiet, & noſtros mirabitur Iſter amores;
Veſtraq; me tellus audiet eſſe tuum.
Quod reſtat, ſuperi faxint ut tempore primo
Te mihi lux reddat candida, meq; tibi.

NICO-

NICOLAO REUSNERO LEORINO.

CARMEN XI.

QVÆ tua vota Elegis tuis tenellis
Pro me regna vetusta Galliarum
Visuro facis; illa nos vicißim
Istis hendecasyllabis minutis
Pro te nunc patrios lares petente
Grati concipimus. Sit ô, sit opto
Voti compos uterq;, uterq; sospes
Lætos deveniat locos. At heu quam
Longis nos, Leorine *separabunt*
Intervalla procul procul remoti
Soli tractibus, inviduq; metis!
Alter forsan & alterum (quod omen
Avertant superi) videre porrò
Haud quibit: veteris tamen sodalis
Sadalem reminiscier juvabit,
Quibuscunq; feretur exul oris.
Tu verò Leorine, *cui licebit*
Montes ad patrios volare tuto;
Seu facturus ad hospitas Elystri
Nimphas, sive iter hinc ad Albis undas;
Amanter Camerarium salutes
Oro, Fabriciumq; Chemnicensem,
Peuceriq; domum, domumq; totam
Esromi, & niveis comis Eberum,
Nec non Vinsemium, senem jocosum;

Majoremq;

Majoremq; meum optimum Poëtam,
Atq; omnes reliquos bonos amicos.
Vivant & valeant diu, precerus;
Æternum memores sui Melissi.

AD
FR. PORTUM CRE-
TENSEM.
CARMEN XII.

CErnis ut æquales ætate, paresq; juventa,
Pectora consensu juncta sequace gerant.
Cum pueris pueri sociantur, ephebus ephebo;
Virq; viro gaudet, cura senecta senum est.
Ast ego non tanti reputo mihi Porte *coævos,*
Quin ultro malim te similesq; tui.
Hinc quia naturæ calles arcana latentis,
Sciq; rei causas cuiq; referre suas;
Vtpote longævo studijs edoctus ab usu,
Cui Sophiæ pandit Graja Camœna libros:
Dic age cur, juvenis quum sim florentibus annis,
Semper amem canis junctior esse viris?

H. STEPHANUS
AD
PAVLVM MELISSVM,
è pago quodam proximo ei
in quo ille dege-
bat.
CARMEN XIII.

SUM

SUM convivator tibi vel conviva futurus
Optio (quid rides?) ista futura tua est.
Verum ego si fuerim tibi convivator, habebis
Urbanas in agro Paule Melisse dapes.
Si non rusticus est, tua fercula ruris alumna
Vrbanū minime præposuisse velis.

MELISSI RESPONSVM exteniporale.

CARMEN XIV.

SEV conviva mihi es, seu convivator; amicos
Mensa pari victu nutriet una duos.
Si convivator, fuero tuus hospes in urbe:
Conviva es? ruri tu meus hospes eris.
Vt q; ego delicias urbis non respuo lautæ,
Sic neq; tu spernes ruris egentis opes.

H. STEPHANUS AD EVNDEM P. MELISSVM, ex eodem pago, postridie.

CARMEN XV.

QVod pervicit heri partes tua mensa priores,
Méne putas victas jam dare velle manus?
Non impunè feres. nam me victoria major,
Te præfracti animi pœna Melisse manet.
Nam quæ condixi, non sunt mea prandia, Paule:
Nec conviva mihi, sed comes esse potes.
Nonne dabis pœnas? sum corpus pransus apud te.
Tu rogeris ad has umbra sedere dapes.

RESPONS.

RESPONS. MELISSI.

CARMEN XVI.

QVas mihi præfracto pœnas Henrice *minaris,*
Hæ neq; causa famis sunt, neq; causa sitis.
Pone tamen, jussam me ferre famemve sitimve;
In me quam statuis, pœna luenda venit.
Hanc si sponte mea subeo, non antè coactus;
Dic age, dic, nostri quomodo victor eris?
Aut si non ultrò tecum, sed ritè vocatus
Vivo; quid immeritò nominor umbra tibi.

JO. JAC. BOISSARTUS
AD
P. MELISSVM FRANCVM,
de sua Carduele perdita.

CARMEN XVII.

MEcum plange Melisse, *plange mecum:*
Foras fugit Acanthis, illa Acanthis
Fugit, proh dolor! evolavit illa
Tam dilecta mihi prius volucris.
Ah, ah, jam miseri caremus illo
Cantu, qui solitus suäviore
Musas gutture recreare fessas.
Mecum plange Melisse, *plange mecum.*
Cœtus gaudia delicata nostri,
Nostræ deliciæ canora Acanthis,
Noti deseruit cubile tecti:
Quæ si passa aliquem esuritionem,
Alis mœsta volabat explicatis,

Pennarumq;

SUM convivator tibi vel conviva futurus
Optio (quid rides?) ista futura tua est.
Verum ego si fuerim tibi convivator, habebis
Urbanas in agro Paule Melisse dapes.
Si non rusticus est, tua fercula ruris alumna
Vrbanis minimè praeposuisse velis.

MELISSI RESPONSVM extemporale.

CARMEN XIV.

SEV conviva mihi es, seu convivator; amicos
Mensa pari victu nutriet una duos.
Si convivator, fuero tuus hospes in urbe:
Conviva es? ruri tu meus hospes eris.
Vtq; ego delicias urbis non respuo lautae,
Sic neq; tu spernes ruris egentis opes.

H. STEPHANUS AD EVNDEM P. MELISSVM, ex eodem pago, postridie.

CARMEN XV.

QVod pervicit heri partes tua mensa priores,
Méne putas victas jam dare velle manus?
Non impunè feres. nam me victoria major,
Te praefracti animi poena Melisse manet.
Nam quae condixi, non sunt mea prandia, Paule:
Nec conviva mihi, sed comes esse potes.
Nonne dabis poenas? sum corpus pransus apud te.
Tu rogeris ad has umbra sedere dapes.

RESPONS.

RESPONS. MELISSI.

CARMEN XVI.

QVas mihi præfracto pœnas Henrice minaris,
Hæ neq; causa famis sunt, neq; causa sitis.
Pone tamen, jussam me ferre famemve sitimve;
In me quam statuis, pœna luenda venit.
Hanc si sponte mea subeo, non antè coactus;
Dic age, dic, nostri quomodo victor eris?
Aut si non ultrò tecum, sed ritè vocatus
Vivo; quid immeritò nominor umbra tibi.

JO. JAC. BOISSARTUS
AD
P. MELISSVM FRANCVM,
de sua Carduele perdita.

CARMEN XVII.

MEcum plange Melisse, plange mecum:
Foras fugit Acanthis, illa Acanthis
Fugit, proh dolor! evolavit illa
Tam dilecta mihi prius volucris.
Ah, ah, jam miseri caremus illo
Cantu, qui solitus suäviore
Musas gutture recreare fessas.
Mecum plange Melisse, plange mecum.
Cœtus gaudia delicata nostri,
Nostræ deliciæ canora Acanthis,
Noti deseruit cubile tecti:
Quæ si passa aliquem esuritionem,
Alis mœsta volabat explicatis,

Pennarumq;

Pennarumq; agitatione crebra
Semen ferre papaveris rogabat;
Et dextra domini cibum capessens,
Potum blandula largientis ore
Poscebat, liquidam bibens salivam:
Et rostro mihi vellicabat unco
Aures, non secus ac datura mollem
Hymnum, quo mihi gratias referret.
Mecum plange Melisse, *plange mecum.*
Ah, quot blanditijs, quot illa quondam
Conata est animum labore mersum
Demulcere sonis! tamen relicto
Vicinum domino nemus petivit.
Mecum plange Melisse, *plange mecum.*
Non, non fugit: amore tam fideli
Dilexit Dominum, ut nec ipsa vellet
Inservire deis, poloq; ferri
Nostræ posthabito favore curæ.
Mecum plange Melisse, *plange mecum.*
Sed tu rapta mihi es; teneris arcta
Infelix cavea, reversione
Quæ te nunc perhibet; Sed heus, dolentem
Qui per vim retines, jube reverti
Dimissam ad dominum (rogo) priorem;
Vel qua parte domus tuæ sit illa
Nobis significa: videbo saltem
Mæstam quotidianus, & gementem
Consolabor, & auferam dolorem.

At tu.

At tu, dum redeat misella, quæso
Mecum plange Melisse, *plange mecum.*

MELISSVS BOISSARTO.

CARMEN XVIII.

JActuram malè fers inauspicatam
Cantatricis Acanthidos pusillæ,
Commœrere jubens tuum sodalem.
Causas hercle dolere justiores
Infelix habeo, Jacobe, *quàm tu:*
Ut dicas potius gemens querensq́;,
Tecum plango, Melisse, *plango tecum.*
Dum succurro pius stipem roganti,
Elapsa est manibus meis volucris
Tuas quæ vel Acanthidas trecentas
Imò millia multa avicularum
Quibat vincere, si quis æstimarit
Amissæ pretium meæ tuæq́;,
At non semine sive rapulorum
Cannabisq́; papaverisq́;, sive
Cibo, quem solet esitare pennis
Vestitum genus, indigebat illa:
Sed (ut struthio concoquens metallum)
Argento satura aureisq́; nummis
Et gemmis erat, annuloq́; pulchro
Exornata. nec arte cantitabat
Musica, modulans sonante rostro;
Sed pleno quoties hiaret ore,

Tinnitus (memini ah nimis nimisq;)
Edebat sonitu reverberante,
Quales cymbala, sistra, vel sonoris
Tintinnabula motitata palmis.
Præcessere mali quidem futuri
Diris ominibus sinistra signa:
Sed præsagia mens nequivit ista
Internoscere, non docente fato,
Magno constitit hæc avis, (fatendum est)
Claris Argyriæ creata terris.
Dic Boissarte *iterum dolens, gemensq;,*
Tecum plango, Melisse, *plango tecum.*
Natura alitis hujus atq; nomen
Gesnerum quoq; cæterosq; fugit,
Qui pinxêre avibus libros; & ipsa
Hæc (docto licet) insula Straboni est
Ignotissima. Sed quid involucris
Agam? Stellio, seu via repertam
Publica malefidus involasti,
Sive Ægyptiacis (quod hercle credo)
Suffuratus es artibus, dolosè
Vah intercipiens meam crumenam:
Illam ni properans hero remittis,
Ultrices lue, quas merere pœnas,
Diris à furialibus redactus
Ad extrema nocens acerbitatum.
Tu verò miserate nostra damna,
Dic Boissarte *novissimè quiritans,*
Tecum plango, Melisse, *plango tecum.*

AD LAURENT. DYRNHOFERUM.

CARMEN XIX.

RE quid inexperta veteranum, callide, dicis
Me, tiro qui nunquam fui?
Excipe militiam tamen Aönidumq; sororum
Et bella Martis asperi.
Quod parit infantes uxor tibi cara gemellos,
Hoc te virum præstas semel
Bis geminos potuit mea partus edere mater,
Bis præstitit pater virum.
Ter tibi, Laurenti, prius hi superentur oportet,
Quam dem triumphi gloriam.
Interea solers operam fac demus uterq;
Ego libris, tu liberis.

RESPONSUM DYRNHOFERI.

CARMEN XX.

BIS geminos potuit conjux prior edere fœtus,
Nunc tertio Schedi virum me præstiti.
Ergo tuos à me victos fateare parentes
Mihiq; oportet des triumphi gloriam.

C. UTENHOVIO, C. F.

CARMEN XXI.

CArole conspicuum quem lucida noctis imago
Ter mihi per somni præbuit effigiem,

Quem ter in amplexus, & in oscula molle fluentem
Comiter & stantem cernere visus eram;
Siccine te coram contempler? ut optimus ille est,
Quem referunt animo somnia blanda meo!
Se quoq; tangendam rosei Pallantias oris,
Clara Melissea voce futura, dedit;
Visa libens, patriae ritu suavissima rerum
Dulce salutato figere basiolum.
Cuncta quidem jucunda, sed hoc jucundius esto,
Candidus ante omnes esse quod unus amas.

VTENHOVIVS respondet.

CARMEN XXII.

TE *quoq; praesentem mihi noctis imago beata*
Corde soporato, nec semel exhibuit.
Me tibi praebuerim quod opaca nocte videndum,
Res est augurij plena Melisse *boni.*
Me tibi quod dederim ter eadem nocte fruendum,
Scilicet augurij res melioris erat.
Se tibi tangendam rosei pallantias oris
Quod dederit, labris suaviolumq; tuis;
Esse quid hoc dicam? quod nomen in omine ponam?
Optima, si nescis, omen id ales erit.
Basia virgineis libasse pudica labellis,
Memnonis est aliquid quod tibi mater alit;
Oscula quod cupido non tantum figat amanti,
Dij faciant, Elegos pondus habere meos.

EIDEM

EIDEM VTENHOVIO.

Carmen XXIII.

Nemo nisi sculptor, nemo nisi pictor, uterq;
Artificum solers vincere quasq; manus.
Buxo ficta meæ conspexit imaginis ora,
His dandæ solum quos amo, queis & amor.
Inter eos, Musis & Apolline doctior ipso,
Quandoquidem primas Carole care tenes,
Pictor & es sculptorq; animi mentisq; Melissi
Primus, habens paucos mente animoq; pares;
Hinc & amicorum te præter, Carole, nemo
Debuit effigiem primus habere meam.

Responsum VTENHOVII.

Carmen XXIV.

Primus amicitiæ tecum qui fœdus inivit,
Effigiem meruit primus habere tuam.
Nec mihi tu, nisi te, potuisti gratius ullum
Mittere sinceræ pignus amicitiæ;
Non mihi si pateras auro gemmisq; nitentes,
Mellaq; misisses cuncta, favosq; & apes.
Candidus est ingens homini thesaurus amicus,
Artibus hunc norit qui retinere bonis.
Fallor an integri pectus candoris amicum
Quamlibet immensas præterit orbis opes?

JOHANNA PALLANTIAS
P. MELISSO SCHEDIO
Viro Clariss.
CARMEN XXV.

Scandere quæ condis tantummodo carmina novi,
Et mala de Latijs Gallica formo bonis.
Condere cum nequeam tibi carmina, carmina pingo,
Condidit Utenhovus *quæ tibi* Paule *tuus:*
Proq; tuis grates tantas ago versibus illis,
Quam scio me indignam laudibus esse tuis.

MELISSI RESPONSVM.
CARMEN XXVI.

Laude quidē digna es, nullas sed nostra merentur
Grates, parca nimis laudibus ora tuis.
Perge Johanna *duas pluresve ediscere linguas;*
Te Musæ & Charites, *te chorus omnis amat.*
Versibus ecce tuis gemina est jam texta corolla,
Myrtea Romuleis, Laurea Franciacis.

EX GALLICO.
CARMEN XXVII.

Bellica quo ductore meres stipendia miles,
Tam tibi Petre *manus, quam ligat ille pedes:*
Captivumq; animum pariter cum corpore sistit,
Carnifice excrucians pectus amaritie.
Cui servis, inimicus adest, capitalis, amicum
Rere; sed est plus quam barbarus hostis Amor.

Temporius

Temporius gracili tibi cæcultantia nube
Vela soporatis excute luminibus:
Prima levis pueri tibi vincla parantis, Enoce,
Fortiter abrupto subtrahe colla jugo.
Ni facias; oculis prorsum caligine mersis
Haud erit ut gladio Gordia lora seces.

FR. PORTO CRETENSI.

CARMEN XXVIII.

MAturos avidus legit racemos
Heic vindemitor, uberiq; plena
Fervent musta lacu: quid occupatus
Rerum tu geris? ut vales? satisne
Lætos incolumi dies senecta
Istic exigis? id quidem precamur
Ævi quod superst agas quietus.
Ad me, Porte, *quod attinet meosq;,*
Valetudine nos bona, (quod ultra
Fortunent superi) scias frui sci.
Ob contagia sæva pestilentis
Evitanda luis, repentè cælum
Nos mutare necessitas coëgit,
Te, doctissime, non valere jusso:
Pro quo crimine, proq; diluendo
Hoc errore, trecenties salutat
Græcam nostra tuam Camœna Musam
Istis hendecasyllabis Latinis.

MELISSI
PORTVS
reſpondet.
CARMEN XXIX.

TU doctiſsime, tu potes Meliſſe,
Carmen pangere, cum lubet, Latinum;
Sive dulcia muſta cum racemis
Latis ruſticus exprimit, Minervam
Quæ inducant variis modis jocari;
Sive cum Zephyrus refert honores
Vernos, flava ceresve frugum acervos.
Tu namq; Aönidum pius Poëta
Fers ſacra, & redimitus usq; lauro
Canis carmina, quæ novem ſorores,
Mirantur tacitæ, bonusq; Apollo:
At nos, quis nemora ad beata nullus
Parnaſi eſt aditus, ſacrosq; fontes,
Conamur miſeri dies & annos;
Sed fruſtra ingenium recuſat, ætas
Et domeſtica cura, publicumq;
Munus. quare age docte, tu Latina
Pange carmina, qui potes Meliſſe;
Atq; ad nos redeas; lues abivit.

AD
SEBAST. SCHEFFERUM.
CARMEN XXX.

AFFore debueras heſterna nocte Meliſſo,
Riſiſſes, niſi te discoquit angor edax.

Alloqui

Alloquio quidam me nomitavit Vlyssem
Musicus; haud studio, voce sed error erat.
At meritò. totidem miserè jam perdimus annos,
Quot gener Icarij Marte mariq; vago.
Sum Scheffere, *tamen longè felicior illo,*
Me quia Penelope non manet ulla domi.

SCHEFFERUS AD MELISSUM.

CARMEN XXXI.

HUNC, *errore bono qui te vocitavit Vlyssem,*
Non errasse meo, dicere jure potes.
Æquat enim penitus, me teste, Melissus *Vlyssem;*
Unus adhuc vafer est, callidus alter erat.
Vox animi solum non est, qua prodimur index;
Hunc oculus, mentis certa fenestra, notat.
Si quem casta beat, veluti beat, uxor amantem;
Tu miser es, felix ter quater ille fuit.

AD EUNDEM SCHEFFERUM.

CARMEN XXXII.

CONJUGE *vir ducta,* Scheffere, *miserrimus exstat,*
Nec quisquis scierit cœlibe pace frui.
Quin plusquam miseros, conjux ubi cogitur alter,
Quatuor alterius lustra carere vocas?
Sed quam non Ithacus, non Icaris illa beati,
Tam didici felix hæc mea nosse bona,

Fœmineis exemta jugis solertius Ulissei
Est mea vafrities calliditate prior.
Compede siq; virum stricta ligat (ut ligat) uxor;
Liber ego, at servus dux Ithacensis erat.

AD HENRICUM STEPHANUM.
Carmen XXXII.

QVare me cinara frequenter uti
Isto tempore vis caniculari,
Dum fervet calor, ardet æstus ingens?
Baccho nunquid ut adbibente potem,
Phœbo nunquid ut accinente cantem;
An ni sat sitiam, sitire discam?
Si vescar cinara sitim lacessens
Baccho gratus ero quidem bibenti,
Ast ingratus Apollini canenti;
Et quo plus bibero, hoc magis sitibo.
Potores cinaras ament, eosdem
Vescentes cinaris amet Lyæus,
Et quantum est hominum bibaciorum,
Teutonumq; siticulosiorum.
At quamvis amo vitiumq; patrem,
Quamvis vinaq;, Liberiq; florem;
Gratia tamen illius, nec ipse
Has æstu cinaras velim comesse,
Nec Henrice *sitim ciere, quin nec*
Vinosos odio haud habere possim:

Non,

Non, si perpetuæ decus juventæ,
Non, si tot mihi Maßici diotas,
Et tot insuper hirneas Falerni,
Quotquot sufficerent per omne seclum,
Lenæus daret, aureosq; montes,
Arguti modò ne soni repertor
Aversetur Apollo me canentem:
Potor non ego, cantor esse malo.

HENRICVS STEPHANVS PAULO MELISSO respondet.

CARMEN XXXIII.

Potor non ego, cantor esse malo.
Sic tu versiculos Melisse *claudis,*
Quos nuper tua lusit hic Camœna
Meis de cinaris Virinianis.
Scisne cur vocitem Virinianas?
Alumnas vocat has suas Virinus,
Meæ deliciæ Virinus hortus.
Sed tu dum cinaras nimis nimisq;
Invisas mihi vis Melisse *reddi,*
Quas vides adeò mihi placere:
Has tu dum cinaras, sed immerentes,
Multis & gravibus probris lacessis,
Ira longius impotente raptus,
Ipsis verba sonas acerba Musis,
Maximumq; creas eis periclum,

Nam

Nam quis non subitò valere cunctas
Iusserit, licet ante cultor harum,
Si posthac nequit esse potor idem,
Et cantor quoq; : sed siticulosæ
Dehinc nescio quæ novæ Camœnæ
Colendæ placitis novis Melissi.
Quam vicem doleo tuam gemoq; !
Quam vellem tibi charta defuisset,
Quam vellem tibi pennā defuisset,
Quam vellem tibi verba defuissent,
Versum dum tua mens volutat illum!
Iberi aut Itali profectus ore
Vix posset veniæ locum mereri:
Quid, quum talia proferuntur ore
Viri Teutonis, & quidem Poëtæ?
Non te Mæonides loqui hæc docebat,
Enniusve pater, vel hos sequuti
Tot vates alij, quibus perennis
Fama est carmine comparata docto.
Sed tam longè abeam necesse non est.
Paucis Hessus abhinc ademtus annis,
Teuto Teutona non docebat ista.
Quam vicem doleo tuam gemoq;,
Quod tuus tibi concitarit error
Quas prius faciles deas habebas!
Ac si vera licet mihi fateri,
Illo ex tempore (parcitote divæ)
Haud est visa mihi fluens ut antè

Vena

Vena mellea carminum tuorum.
Ah quibus precibus novem sonores
Iratas adeò, queas amicas
Tibi reddere? quod piamen hujus
Erroris fuerit, vocare crimen
Quem tamen potius volent Camœnæ.
Si vis consilium meum probare
Quæ sunt de cinaris, ut ira suasit,
Tibi carmina cantitata nuper,
Recanta citò, laudibusque multis
Probra de cinaris repende multa.
Versum illum quoque clausulam priorum,
Refinge: aut potius repone nostrum:
Cantor esse volo, simulque potor.

MELISSUS
Per replicationem
HENRICO STEPHANO
respondet.


CARMEN XXXIV.

AGE, si redactus illo
Stomachosioris iræ
(Ut opinione ludis)
Probra sobriis Camœnis
Benè potus intulissem,
Satur aut probro fuissem
Cinaris Virinianis,
Epulis tui palati;
Palinodiam canendam,

Gra-

Grave crimen expiandum,
Veniamq; deprecandam
Pol oportuit, fatebor.
Licet Ilium Poëtam,
Licet Enniumq; & Hessum,
Alios & advocatos
Memores, velut patronos
Bromiæ bibacitatis?
Tamen illa quæ, reprensor
Stephane *ebrij meraci,*
Mihi factitanda suades,
Minus ipse factitares;
Satis hoc superq; novi,
Satis hoc diæta monstrat.
Alemannus ortus ut sim;
Alemannicum bibendi
Nimis improbabo morem,
Mea vita dum manebit.
Igitur mihi vel optem
Prius ipsa charta desit,
Prius ipsa penna desit,
Prius ipsa verba desint,
Revocare quàm priora
Mediterve moliarve
Metra. quin libentiusq;
Potiusq; (pace Phœbi)
Quia potor esse nolo,
Ego cantor esse nolo.

PAULI



PAULI MELISSI SCHEDII FRANCI MISCELLORUM LIBER SECUNDUS.

AD FRANCISCVM PORTVM.

CARMEN I.

QVando Poëtarum regem me Porte *salutas,*
Imperio vates subijcis ipse meo.
Non mihi tam veniat dominandi invisa cupido:
Legibus adstringi nemo Poëta volet.
Syllabicas violat si sæpè licentia leges,
Nec transgressores sontica pœna manet,
Quid fore de reliquis censebis? rex ero, Porte,
Si mihi reginam, si mihi regna dabis.

PORTUS

PORTUS AD P. MELISSUM.


CARMEN II.

ET *regina, & regno es dignus summe Poëta;*
Nec tua vatum aliquis respuet imperia,
Liberior vernis apibus licet ille vagetur
Florida castarum prata per Aönidum:
Vsq; adeò es carus Musisq;, Ioviq; parenti,
Regia qui donat stemmata, opes, solia.
Is dabit hæc: Portus numerum populiq; choriq;
Explebit, tua qui sceptra Melisse *colent.*

JO. POSTHIUS PAULO MELISSO.

CARMEN III.

E*Rgo vivis adhuc,* Paule *optatissime, vivis;*
Atq; (quod ex animo lætor) amice vales?
Quem rebar medios inter perijsse tumultus,
Gallia dum furijs est agitata suis.
O mihi læta dies, alboq; notanda lapillo,
Quæ superesse refert te, mihi dulce caput!
Vive precor superaq; diu, cultissime vates,
Atq; tuis vitam da mihi carminibus.
Sic tibi det quæcunq; voles justissimus heros,
Quo duce sunt patriæ rura beata meæ.



MELIS-

MELISSUS POSTHIO.

CARMEN IV.

VIvo equidem Posthi, valeoq́ue, rebellis (ut olim)
Gradivi rabidis cedere turbinibus.
Bis tenuit captum Bellona furentibus armis,
Bis mihi libertas hoste favente data est.
Hæc tibi num vanus tum vaticinabar haruspex,
Quando gemens abitum prosequerere meum?
Haud capiti mendax instare pericla canebam:
Ah nimis eventus vera fuisse probat.
Quatuor ast hiemes exegit acerbius astrum;
Quintus hic, ex voto qui fluat, annus erit.

AD JOSEPHVM SCALIGERVM

Julij Cæsaris F.

CARMEN V.

O Patre docto nate longè doctior;
Quid Musis, quid Apollini,
Aut quid Minervæ non reprendendum canis,
Æterno memorabile
Seclo futurum? nos sacros Nymphas Nicri
Psalmos regis Iessei
Lyra jubemus Teutona sonare, quos
Bezæ Melpomene prius,
Quos & Maroti Gallicas Libethridas
Arguta docuit fide.

Inusitatum molior quidem meis
Francis tendere barbiton,
Normam sequutus & modum non antea
Vllis hercule cognitum ;
Qualis canoro Cnibbius *plectro suis*
Spem præbet popularibus:
Sed ille Christi Spiritus, flatu sui
Quondam roboris efficax
Movere vatum corda, nunc & igneas
Nostris pectoribus faces
Inspirat, ardentesq́ue venas excitat.
Accedit bona principum
Favoris aura, quæ benignos haud meis
Ventos denegat organis.
Adhæc piorum crebra me suspiria
Et linguis animant suis
Redduntq́ue vegetum, destitutos viribus
Nervos deficiam licet.
Ni destinerer Myrtileti longius,
Divinis operis vacans,
Præclara jam dudum Valentiæ Scholà
Nobis hospitium daret.
At sive fixum psaltriæ cursus meæ
Ad finem properaverit,
Seu mors celerius fila cum vitæ mihi
Tum ruptæ sciderit lyræ,
Vestras in oras quàm redux Cujacium,
Scitum juris, & arbitrum

Legum

Legum sacrarum, teq; culte Scaliger
Musarum videam decus:
Absentis oro tam recolite memoriam,
Quàm vestri memor usq; sum.

JOSEPHVS SCALIGER
Julij Cæsaris F.
AD
P. MELISSUM POETAM
Laureatum.
CARMEN VI.

Cœleste pectus, cujus ex inexhaustæ
Mentis scatebris, limpidissimæ linguæ
Sermone dia vena lacteo manat,
Melisse: *quid me naufragum, quid oppressum,*
Quid improbo doloris obrutum fluctu,
Curvumq; luctu, & fronte cernua terram
Tuentem, ad altæ lumen erigis Musæ,
Ut scripta nostra provocans tuis scriptis,
Inamœna scripta candidissimis scriptis,
A mente curis & silentio mersa
Molles camœnas, molle carmen expectes?
Hoc licuit olim, cum faventibus Musis
Secunda nostros aura temperans cursus
Mea ad beatos vela mitteret portus,
Regens amicæ pacis in sinu tuto
Studijs adultam liberalibus mentem.
Quam lenis ardor, atq; literis florens
Ignobili fovebat otio primum

Quies bonarum mollis artium nutrix,
Serena vacuæ flabra semper aspirans:
Postquam è procellis èq; triplici fluctu
Civilis æstus, delicatus & liber
Excepit alma me Valentiâ portus;
Ut juris acri sancta me Themis cultu
Artificis expoliret ungue Cujacij,
Inexpiatæ post cruenta Bellonæ
Pugnata cœlo bella semper irato.
Tunc tunc Poëta, tunc Apollini carus
Vixi; Camœnis tunc amicus audivi;
Nec ulla surdo plectra movimus Phœbo.
At nunc doloso flamma Martis insani
Supposta cineri, quamq; pacis armatæ
Fallax alebat vultus, ut prius stultis
Spes suggerebat Suada credulas Gallis,
Exsuscitata fulsit. ilicet magnam
Inopina cunctis urbibus dedit stragem.
Unde administrat sæva Erinnys ardentes
Incendiorum civico faces bello.
Quare metu dejectus, obsitus luctu,
Atratus, expes, in tuum sinum fugi
[illegible]a: quæ me patriæ exulem terræ
Blanda atq; amica caritate fovisti.
Ergo ille primus ardor, ille cognatus
Nitor obsolevit mentis ad metus illos,
Melisse, qualis ad Caniculæ tabem
Omnis silet flos. & tamen tuis scriptis

Vires

Vires recepit, qualis imbribus seris
Seges renidet nigra: quæ diu languens
Frustra coloni spem sagacis elusit.
Quod si quis ullas fomes ullus in nobis
Resides sepulti celat ingenti flammas;
Totum hoc tibi ardet, hoc tibi reviviscit:
Totum hoc amoris aura ventilat vestri.

N. C. TRELAEO MOSELLANO.

CARMEN VII.

FErvet amor calidis sociatus mensibus anni,
Sed genitus brumæ tempore friget amor:
Plebs ait. ipse tamen Clemens *haud algidus, ambis*
More proci Φιλίαν, dum gelat aura, meam.
Plebs mendax. ne sit plebejus amicus uterq;,
Do tibi me socerum, da mihi te generum.

TRELAEUS MELISSO.

CARMEN VIII.

GAudeo te socero gener auctus, amicus amico;
Nam Φιλία est oculis carior ipsa meis.
Absenti sed forte viro ne fœdera rumpat,
Deserat aut patriam sola relicta fidem;
Sancta mihi Φιλίαν liget arrha Melisse *dicatam*
Si generum me vis ut volo te socerum.

MELISSVS.

CARMEN IX.

VT Iovis è cerebro Pallas sata; sic tibi Clemens,
Quam junxi, virgo pectore nata meo est.
Tolle animi dubium. nunquam non casta manebit
(Absens seu coram sis) Schediana fides.
Spondeo. quid tu ultra stipularis? amore ligatis
Arrha pari nodis sanctior esse nequit.

TRELAEUS.

Carmen X.

ARrha pari nodis quæ nescit amore ligatis
Sanctior esse, fide nititur ingenua.
Arrha notus amor dubio procul ille patescit,
Pectore quem natum contegit alma fides.
Carmine Paule probas arrham sponsore negatam,
Arrhaq; Paule tui carmen amoris erit.

MELISSVS.

Carmen XI.

QVei nego, quid tibi do? non carmine teste probanda est,
Quæ viget in casta mente pudicitia.
Nata refert mores & puros matris amores;
Nata refert genium patris & ingenium.
Dos fuerat, Clemens, à me stipulanda. sed ecce
Tu Philian ducis jam sine dote domum.

TRELAEVS.

Carmen XII.

QVid stipuler? natæ dos est amplissima virtus;
Non ego miror opes, munera nulla sequor.

Illa

Illa mihi dives, sunt cui sine crimine mores:
Parce socer, natæ dos mihi virginitas.
Sat dotata, refert castos quæ casta parentes:
Parce socer, Philian non sine dote locas.

JOAN. POSTHIUS GERMERSEMIUS PAULO MELISSO suo.

CARMEN XIII.

QVale sit hoc, Domino quod vovi nobile votum,
Carmine Paule *meo certior esse cupis:*
Nempe quod immodico perfundere tempora Baccho
Non unquam, superat dum mihi vita, velim.
Hoc summi præcepta DEI *veneranda requirunt;*
Hoc ratio, nobis quam dedit ipse, jubet.
Adde, valetudo quod idem mea postulat: adde,
Quod deceat doctos sobria vita viros;
Præcipuè medicum: miseris ut rectius ægris
Consulat; his etenim vel levis error obest.
Adde, quòd in gravibus præceps occasio morbis
Præsentem medici sæpè requirit opem.
Heic rogo quid faciat, cerebrum cui fervet Iaccho,
Quive olido hesternum ructat ab ore merum?
Prætereo rixas, scelera impia, vulnera, cædes,
Omnia quæ demens parturit Ebrietas.
Multa sacræ referunt exempla, ac multa profanæ
Historiæ, atque ætas hæc quoque multa videt.
Ergo Bacche vale, Bacchique valete sodales;
Non ego, non vestro postmodò more bibam.

Nullus amicus erit tanti mihi, non erit ipse
Cæsar, ut hoc mutem nobile propositum:
Non, mihi si pretium detur vel Francia tota,
Quicquid & in gemino littore Rhenus habet.
Vina bibam, sed parca situ quantum exigit: ultra
(Teste loquor Domino) pocula nulla bibam.
Hujus me memorem voti facit annulus iste,
In digito minimo quem mea dextra gerit.
Huic similem, si me redamas, tibi Paule *parabis,*
Ut simili posthac tu quoq; lege bibas.

P. MELISSVS SCHEDIVS FRANCVS AD JO. POSTHIUM Med.

CARMEN XIV.

IN quoscunq; situs venio Germanidos oræ,
Antè alias omnes quæ spatiosa patet.
(Proh pudor!) invenio tetræ ebrietatis alumnos,
Quos Epicureæ grex amat udus haræ.
Suaserit & quisquam porcis cum talibus ullum
Icere mansuræ fœdus amicitiæ.
Invitatus eris? sanè tibi, si modò possint,
Ingerere in fauces dolia tota volent.
Quin scelus & facinus crimenq; putatur, ab illis
Si conviva domum non nisi potus eat.
Quo plures aliquis sciet exhaurire metretas,
Dignus eo fuerit nobiliore nota.
Sardanapalæo licet ore regurgitet haustus,
Est decus à vomitu mox iterasse vices.

Gran-

Grandibus inscribunt potores nomina vitris,
Signaque eorundem picta fenestra tenet,
Quoque vitro biberint, id fractum dente comestur:
Usque adeò fortes Hectoras esse putes!
Teuto ferox olim ferro pugnavit & armis,
Vitrea nunc bibulo prælia Marte gerit.
Quid loquar, ut pateræ sumunt vice sæpè matellas,
Calceus & cyathi sit quoque sæpè loco?
Ebrius hic mos est: sic vivitur. at mea, Posthi,
Socraticos mores æmula vita probat.
Sobrius his nomen meritumque indeptus honorem
(Testibus & Gallis Ausoniisque) tuli.
Nec queo non laudare tuum, carissime, votum
Pars ego votivi prima sodalitii:
Tu modò fac choreas restim ductantis ineptas
Ejures simili, ceu prius ipse, modo.
Firmet id ambito mihi circulus aureus orbe,
Quem manus articulo dextra minore gerat.
Lucrones primis sum detestatus ab annis,
Hos & ad extremos exsecror usque dies.

AD EVNDEM.

CARMEN XV.

Q*veis tua sunt,* Posthi, *sine nostris carmina lecta,*
Arguor esse meri sive fuisse bibax;
Me sibi Sobrietas experta est semper amicum,
Ebrietas hostem: nil moror ebriacos,
Utque ego Nephalia cum Nympha exerceo pacem,
Sic cum monstro isthoc Teutona bella gero.

POSTHIUS MELISSO.

CARMEN XVI.

TE bibulum quereris reputari hoc nomine, quod te
Admoneo, nostra lege Melisse *bibas.*
Ast ego te potius legi, quod sobrius esses;
Spernit enim leges ebria turba meas.
Utq́ palàm nostrum sic contestarer amorem,
Qui nullo cœpit cognitus esse mero.

AD CVNRADVM ALBINUM,

Patricium Francofurtensem, cum ei annulum dono daret.

CARMEN XVII.

QVi VOTUM SANCTUM DOMINO, dos grata Melissi,
Aureus inscriptum jugiter orbis habet,
Retrahere à nimio gnarus labra Bacchia potu
Vinciet articuli terga rotunda tui;
Ut quam vovisti, nunquam violata satiscat
Candida jurato numine Sobrietas.
Corrigere errores transactæ posse juventæ,
Hoc decus acceptum ritè fer omne DEO.
At cave lymphato rursus ne gurgite mersum,
Te sibi mancipio vendicet ipse Satan.
Hæc memor ut cunctos præstes Albine *per annos,*
Annulus hic fidei sacra sit arrha datæ.

C. ALBINVS IN ANNVLVM sibi à MELISSO donatum.

CARMEN XVIII.

ANnulus artis opus miræ, donumq; Melissi,
Æternum nostri pignus amoris erit.
Est carum rutilans aurum mihi, carior autor
Hoc qui dat digito munus habere meo:
Quod tibi Pegasides suaserunt mittere Musæ,
Delicium ô animi culte Poëta mei.
Haud alio tamen est gratus mihi nomine, quàm quod
A mihi dilecto pectore missus adest.
Hunc quoties video, suavis mihi vultus amici
Occurrit, totties & renovatur amor.
Ille igitur digito nunquam tolletur ab isto,
Dum firmo durat fœdere noster amor.

IDEM AD MELISSUM.

CARMEN XIX.

VOtum ter sanctũ Domino, clarissime vates
O & Pieridum dulce Melisse decus;
T er sanctum (dico) votum te consule vovi,
V ino quod posuit luxuriæq; modum.
M ille etenim Bacchi vitiorum copia, mille
S ecum proh scelerum quum trahit illuviem;
A bstinuisse gulam nimio sacra pagina luxu
N os iubet, & parcis sumere vina labris.
C orporis atq; salus animæ si pluris habenda est,

Tetrior

T *etrior ebriaci quàm gregis illa lues:*
V *ota quis ista DEO neget auspice facta, serenam*
M *entem quæ purâ sobrietate beant?*
D *um viget hoc corpus, servabo fideliter illa:*
O *ccuper hæc servans morte ruente senex.*
M *e monet & pietas fidei coluisse tenorem,*
I *ngenioq; sagax* Posthius *ipse monet.*
N *omine quo digiti mihi nexus annule vinci:*
O *mea sint nullis irrita vota modis!*

SEBAST. SCHEFFERO
Poëticæ Professori.

CARMEN XX.

D*Ixisti toties* Sebastiane,
Scripsisti toties, brevi futurum
Vt nostram citò curreres in urbem,
Albino duce, gente candidorum
Nate patricia; sonante Mænum
Qui testudine Francicum moratur,
Sistens ad vada Mænidas stupentes.
Hoc te protinus optimo virorum
Stipatum, fore redditum sodali
Scripsisti toties Sabastiane,
Dixisti toties (ferè addidissem
Nugatus toties) sed ut lubebit
Hinc & inde require diligenter
Indagave, quibus vel arte possis
Persuadere Sinonia, vel ultrò,

Vt tuis

Vt tuis habeant fidem loquelis.
Ad me jure quod attinebit, herclè
Invitus tibi credo: namq; novi
Magnum scilicet esse te Poëtam.

RESPONSIO SCHEFFERI.

CARMEN XXI.

MAgnus versiculis tuis Poëta
Appellor, referam tibi Melisse
Quas grates? age prædicabo plenis
Virtutes numeris tuas Poëta.
Vir magnæ pietatis est Melissus,
Iusti semper amans & æquitatis;
Vita Scipio temperante, morum
Elegante Cato severitate;
Miti corde supremus Africanus,
Alter pectore Gillias benigno;
Nunquam lætitiæ, spei, timori,
Mærori tribuens minusve plusve,
Ipsi aptè sibi doctus imperare;
Multam clarus ob eruditionem,
Francorum decus, & corona Mœni,
Summis carus & infimis amicus;
Idem prima sodalium venustas,
Idem maxima virginum voluptas.
I nunc, & mihi crede non libenter:
I, magnum vocitaq; me Poëtam.

ANT.

ANT. PISONI DVCIS LO-
tharingi Archiatro.

CARMEN XXII.

Me nisi Mœnano tenuissent littore Nymphæ,
Quum te Neccarica sisteret amnis humo;
Crede mihi Piso, fecissem ne foret unquam
Dulcis amicitiæ causa pudenda meæ.
Multa quidem Clemens *de te narravit, & idem*
Candoris retulit maxima signa tui:
Ast ea sunt illis longè inferiora putanda,
Te quibus Aonius tollit ad astra chorus:
Scilicet hæc propter, mea Piso Camœna decenter,
Palladia nomen sacrat in æde tuum.
Si te, care Senex, *prisci venerantur amici,*
Cur novus & juvenis non tua jussa colat.

ANTONIVS PISO AD
PAULUM MELISSUM
Poëtam eximium.

CARMEN XXIII.

Qvantùm me scripto mellite Melisse *bearis*
Carmine, vix quemquam credere posse reor.
Nemo adeò credat, cui non perspecta voluptas
Tanta, mihi quanta est carmine capta tuo.
Ignotum aggrederis scripto prior; & peramico
Carmine certamen Paulle Melisse *paras,*

Est igitur

Est igitur mihi nunc tecum certamen amoris:
Versibus alternis pugna obeunda venit.
Ac licet haud parili sim certaturus ὁπλισμῷ,
Imparibusq; armis res sit agenda mihi;
Pisonem meliore tamen victoria parte
Certa manet: nobis tu dabis ipse manus.
Sum concessurus tibi laudem carminis: istud
Nil moror: hoc à me sit tibi Paulle *datum.*
Ut tu nos superes condendo carmine, amore
Non cedam: palmam non in amore feres.
Persequar atq; colam magno fervore Melissum:
Hunc istà nunquam vincere parte sinam.
Carmina sunt (fateor) myrtus tua: myrtea serta
Sunt nobis: ea sunt myrrha, melissa, crocus.
Hæc legi, & relegam quæ scribes, plena lepore
Carmina; eruntq; mihi nectar & ambrosia.
Sic sapiet nobis, gratoq; placebit odore,
Quicquid erit posthac, quæ tua Musa dabit.

MELISSVS EIDEM ANT. PISONI.

CARMEN XXIV.

PISO, *tibi nondum sum victus amore triumphũ*
Quid canis, aut quid ovans alta trophæa paras?
Nescin' ut Hectoreos certamina cedere Francos
Intrepido fretos pectore, nulla sinant?
Est Agape, est Erato *nostris quæ partibus adstant,*
Utraq; flammiferis cincta Cupidinibus.

Tantum

Tantum aberit, nos ut superes cuspedine amoris,
Unus ut in multos vel procul ire neges.
Sis tamen Alcides; ut dem quid. homóne deorum
Quemquam captivum sistere velle putes?
Utq; velis, minimè possis. dea sola, tametsi
Infima, mortales mille domare valet.

AD LUDOVICUM MASURIUM NERVIUM.

Carmen XXV.

Saturnalibus en tribus peractis
Iam vigesima lux Decembris instat,
Natalis mihi. ni fores ab undis
Nicri tam procul avij remotus,
Mecum prandiolumve cœnulamve
Sumeres Masuri, *tuæq; nobis*
Gestires recitare docta Musæ
Argumenta; silentis Angeronæ
Illius taciturniore festo
Non cogente sodalium venustas
Obmutescere collocutiones.
Forsan te satias cibi magis, quàm
Minus me caperet tuæ loquelæ:
Sed Clemens, *genialis ille* Clemens
Mosellanus, *ut est pater lepórum*
Disertus saliumq; dulciorum,
Lepóre & sale dapsiles patellas
Condiret, pariter Rosinulamq;

Dianamq;

Dianamq; jocosius susurrans.
Interim nihilominus remoto
Quamvis, sobrie Ludovice *vates,*
Semiabstemius hoc amoris ingens
Mutuo tibi poculum propino:
Ut reddas pariles vices, amoris
Alterni mihi poculum propina.
Nam quid suaviùs est amœniusve
Iunctis unanimi fide Poëtis?

MASURIUS AD P. MELISSUM.
CARMEN XXVI.

QVod me versibus huc adire missis
Certas, omnibus antèpono donis.
Quod tecum ipse diem tui Melisse
Natalis facili cupis Camœna
Me lætaq; agitare voce festum;
Iamdudum hoc equidem frequens & ipsum
Ingenti precor expetoq; voto,
Quo Musa simul erudítiore
Præsentis valeam frui Melissi.
At quum nos habeant loci remotos,
Et privata loqui vetemur ipsis,
Quam gratum mihi poculum quod absens
Absenti procul ac prior propinas!
Quam gratum mihi poculum quod inter
Nos pignus stabile esse vis amoris!

 En hoc,

En hoc, quod petis, ut vices amico,
Mente æquâ, licet impares rependam,
Hoc, inquam, ingenui piiq; amoris
Misso carmine poculum propino.
Quanquam, qui novus esse nunc videtur,
Pridem cœperit hic amor, meæq;
Gratis ignibus ardeant medullæ.
Nam constans animi Melisse virtus
Et Musæ comites tibi, fidesq;
Invicta, & pietas amorq; veri
Dudum certa mihi fuere philtra.
Æternum asserat hic amor sibi nos
Iunctos unanimi fide Poëtas.

MELISSVS MASURIO.

CARMEN XXVII.

PHiltra vocas, Masuri, nostri irritamen amoris,
Quo memoras dudum corda flagrasse tua.
Roscidus excultis surgens mihi flosculus hortis
Vim loti mentes allicientis habet:
Hunc puto gustasti baccæ dulcedine captus,
Mustea purpureo quam tegit herba sinu.
Ipsa tuis dulcescat eò magis opto labellis,
Quo magis ardenter mellea liba cupis.
Nullus amicorum est auditus, nemoq; visus,
Cui subamaruerit flosculus ille, queri.
Aruerint alii flores; tibi frigore vernat
Dulce Melissææ germen amicitiæ.

C. VTEN-

C. VTENHOVIUS C. F. MELISSO suo mellitissimo.

CARMEN XXVIII.

CVR tibi distulerim rescribere, quaerere noli,
In causa amissus nempè Melissus erat;
Scilicet & spinis & sentibus haustus acutis,
Spinicolûm complet melle favoq; rubos.
Nil erat amisso quod melle reponere possem,
Deerat & amissis certa Melisse favis;
Quam nisi cumq; suo mihi melle favisq; Melissus
Reddiderit, Pharium vertar in Harpocratem.

MELISSI RESPONS.

CARMEN XXIX.

SIecine cura mei tibi Carole nulla relicta est
Siccine (me miserum!) sum tibi vilis ego?
O crudelis & in me, ô & crudelior in te
Qui me perdideris & mea mella simul!
Quin ego sum felix, nec tu nisi mitis & insons:
In medijs veprium sint mea fata rosis.
Suavius ecquid enim est, inter quam Lilia nasci,
Idaliasq; ROSAS inter amore mori?

AD EUNDEM C. VTENHOVIUM.

CARMEN XXX.

DIximus insontem te Carole; sed neq; credis
Ipse, nec huic quicquam possit habere fidem.

Culpa tua est, quod tunc ceræ periere faviq́;:
Quodq́; simul pereo nunc ego, culpa tua est.
Quid juvat immensos animo versare dolores,
Sive ea culpa gravis, sive ea culpa levis;
Dum mihi Tantaleas gaudes infligere pœnas,
Et quæ danda velis, te dare nolle doces?
Fragmina vos testor mellis. quin recreor æger,
Ubere de fonte, & de locuplete penu?
Qui prius ambrosia, prius & me nectare pavit,
Me necat ille fame, me necat ille siti.

JOHANNI VTENHOVIO.

CARMEN XXXI.

SIC *tibi* Jane *graves detur vitare dolores,*
Sic æstas lenis sit tibi, mitis hyems.
Dic Carolo *fratri* Pallanteæq́; *puellæ,*
Tandem aliquando meis sint medicina malis.
Non sat erit dumis amissum subter opacis
Sub Iove tot pluvias, totq́; tulisse nives?
Aut ope restituar vestra aut medicandus oportet,
Vi propria Coum muter in Hippocratem.
Vtramcumq́; volet sors, hoc precor inter amœnas
Tu mihi mnemosynon pone fidele rosas:
Sit licet in vivis Jesseia Musa Melissi,
Parte tamen perijt heic meliore sui.



C. VTEN-

C. VTENHOVIUS MELISSO Laurigero.

CARMEN XXXII.

CArolus Utenhovus *quod ahenaq; paucaq; reddat*
Aureole aureolis carmina Paule *tuis;*
Carolus Vtenhovus *non est culpandus, & hujus*
Causa tamen sola est Carolus Utenhovus.
Tu duo qui possint contraria vera in eádem
(Si Dialecticus es) re simul esse, doce.

MELISSUS respondet.

CARMEN XXXIII.

SI simul atq; semel contraria bina probares
Absona Rhetorico lemmate diluerem.
Tu sed in ambiguo colludere nomine gestis
Carole *fallor: amas simplicis ora soni.*
Causa es amicitiæ fragili quam firmius auro
Carminis æterni vincula ahena ligant.

C. VTENHOVIUS P. MELISSO V. eruditiss.

CARMEN XXXIV.

QVod tua tam raris pensem tam crebra tabellis
Carmina, si cor habes, parce Melisse *queri.*
Ut tibi proveniunt Musis & Apolline dextro
Utq; mihi adversis carmina nata Deis:

 Sic tua

Sic tua labuntur Rheno quoq; vecta secundo,
Nostra sed adversa scripta feruntur aqua.

MELISSUS SCHEDIUS VTENHOVIO SUO.

CARMEN XXXV.

C Armina quin potius tibi plurima, Carole, *venâ*
Versibus ut nostris uberiore fluunt;
Valdius amne celox obliquo sic tua fertur,
Delabens recto quàm mea lenta ratis.
Scilicet adversas undasve deosve, quereris?
Tu dominaris aquis, tu dominare deis.

MELISSO LIBERRIMO.

CARMEN XXXVI.

Q Vum neq; tot numero numeros æquare valerē,
Par neq; tot numeris esse lepóre tuis.
Vincèrer innumeris numero ne versibus abs te
Turpiter, & Genij Paule *nitore tui,*
Concedens numeroq; tibi numerisq; removi
De numero numeros, de tabulaq; manum.

Μά. ΚΑΡ-ΟΛΟΣ ΟΥΘΕΝ-Ω-ΒΙΟΣ.

VICTOR GISELINUS SANFORDANUS AD NICOLAUM CLEMENTEM TRELÆUM.

Christo Duce Comite Fide Clemētia victrix.

CARMEN XXXVII.

S Equana amicitiæ doctæ doctißimus auctor
Quam benè conjunxit me tibi, teq; mihi!

Vincere

Vincere ego nequeo, nisi cedam: tu nisi Clemens
Esse potes victor, vincere posse negas.
Sancta Fides, Charitesq; & vos Heliconis alumnæ
Vestri amor hic si nos jungat amore pari;
Nos etiam jungant vota: & victrice coronet
Lauro utrumq; pari Christus & alma Fides.

N. C. TRELAEVS VICTORI GISELINO.

CARMEN XXXVIII.

NON *cupio tecum versu contendere,* Victor
Invicto calamo carmina docta canis.
Doctus Apollineo superas certamine doctos
Victor, *Pegasei natus ad arma chori.*
Cedam victurus Victoris carmine sacro;
Victricis vitam dent mihi plectra lyræ:
Victoriq; suo Clementem fœdera jungant,
Auspice sub Christo, vel comitante Fide.

COELO MENS INCLUSA.

CARMEN XXXIX.

MELISSVS SEMPER-FRANCVS. AD VICTOREM GISELINUM & NICOLAUM CLEMENTEM.

CHristus

CHristus & alma Fides victrice coronet utrumq;
Lauro; vos jungant pectore vota pari:
Aönidum Charitumq; sacro quia fœdere dignos,
Adscivit Clarijs clarus Apollo choris.
Quò cedis Giseline? negat sic vincere posse
Clemens. Victorem cedere velle, sat est.
Victor ovans superes, superet Clementia victrix:
En dux Christus adest! en comes ipsa Fides!

MANET IMMUTABILE FATUM.

INSOMNIUM
FRANCISCI AVERLII
Eq. Gal.

CARMEN XL.

GRamina decurrentium rivorum latera cingunt
perennis fugæ socia:
Nasturtium inexhaustos lucidosq; fontes ambit;
Capræ ad Periclymenum subeunt:
Apes thymi asseclæ sunt ut cicadæ roris:
Ovium peregrinatio est in trifolio:
Grues advenæ vere novo aratri vestigijs instant.

Ast Apollo suis comitatus Musis ad Pauli vocem advolat, choros ducit, & suavium carminum blanditia inescatus tripudiat. Eja verò Francisce, dic quâ gratia hic desides? lapis homo. Admiratione perculsus egregijs de præsigni vate cogitationibus insisto, & sola voluntatis inclinatione quod assequi non possum, consequor.

Orna-

Ornamentum prati est herba;
Herbæ venustas flos:
Elegantia digiti annulus;
Annuli decus gemma:
Arboris hilaritas frondes;
Frondium honor umbra:
Viridarij delitiæ hyacinthus;
Hyacinthi gloria sertum:
Vitæ gaudium amicitia;
Amicitiæ felicitas erudita copula.

Iam quis D' Averlæo beatior, cui intimus est Melissus *Amœnitatis nemus (titubat lingua, de Mæno meditabar) & lepidorum cantuum Oceanus? Sed & quis eodem infortunatior, cujus imperitia tantæ felicitatis expletionem interpellat?*

Ut speciosus taurus,
Sublimis fusaque cyparissus,
Pinus tenera;
Gregem minutatum,
Cæduam sylvam,
Felices aut humiles dumos
supereminet:
Sic P. M. *inter præclaros Poëtas*
fastigium tenet;
Sicque Fr. D.' A. Pauli Melissi *amicos omnes & altitudine & amplitudine studiorum dicamne antecellit an exuperare cupit?*

JOSEPPH. SCALIGER PAULO MELISSO.

CARMEN XLI.

PAULE Poëtarum cui doctis frontibus harens
Cinxit honoratum laurea serta caput:
Quid facis, ô vates? quibus exigis otia Musis?
Aut quibus in studiis fallitur hora tibi?
An teneras mulcens liquidis accentibus auras
Musica non uno dividis orsa tono,
Ut te miretur modulantem limfa Deorum
Renus, & exultans altera Nimfa Nicer?
Anne Palæstinas numeroso carmine Musas
Solvere Teutonicis ora diserta modis,
Instituis? Felix animi, vitæq; beatæ,
Si mentem capiunt illa, vel illa tuam.
Felix qui faciles traducis pectore curas;
Otiaq; in tenera sancta quiete colis.
Vivacis cui dona indelibata senectæ
Spondet inoffenso tracta tenore salus.
Quem non ulla malo labes. tentavit acuto
Non ulla afflavit vis inimica mali.
At mihi perpetuum mordacibus anxia curis
Nec sine sollicito ducitur hora metu.
Quem monstro prognata lues, quæ limite certo
Quatuor alternos itq; reditq; dies,
Obsidet, & tacita populatur peste medullas.
Hei mihi quod loquimur verba minora malo:

Nec possum

Nec possunt Elegi vivis proponere pestem
Sensibus, altiloquæ res erat ista lyræ.
Sic me inijt victrix: sic me spoliavit inermem.
Sic de me celsis alta triumphat equis.
Nec mihi sufficiunt veteres in corpore vires.
Nec pes munus obit, nec manus ulla suum.
Sed sum, quod ventis debet ludibria pondus;
Et quod onus primis flatibus aura levat.
Me non ulla juvat Cerealis gratia fœtus;
Gnossia nec veteris grata saliva meri.
Omnia Cerbereum spirant mihi noxia virus.
Omnia sunt ori trita venena meo.
Quid jejuna loquar diluti tædia gustus?
Oraq; non unquam sicca liquore suo?
Quid matutinæ fastidia lenta salivæ?
Hostibus eveniat ah sapor ille meis.
Quid stomachũ exesũ, stomachiq; inamabile murmur?
Et nunquam ad gemitus pectora muta suos?
Cum gravior fundo veniens exæstuat imo
Spiritus: & fauces tussis anhela quatit.
Quid nocturna modis insomnia turbida miris?
Quasq; mihi intentat mortis imago minas?
I nunc, meq; iube Musarum expromere fœtus,
Et vacuæ à nobis exige mentis opus.
Me juvat exorare malum hoc: quibus illa pianda
Auxiliis: quo sit ture litanda mihi:
Formidandum ægris, atq; implacabile numen.
Una tribus Furijs addita quarta soror.

Post

Post subducta polo cœlestia semina flammæ,
Atq; Promethea conscia furta manus,
Prima peregrinis Erebi caput extulit oris,
Insueta & vultu terruit astra suo.
Morborum & traxit ferales prima cohortes,
Seq; ducem jussit, & sua signa sequi.
Inde hominum miseris cervicibus imminet hostis;
Calcat & imposito subdita colla pede.
O dulces animæ, si qui superestis amici,
Iure sodalitij pectora juncta mihi:
Accipite has lacrimas, supremi pignora luctus,
Tristiaq; atratis carmina picta notis.
Et tibi nec nostri sit funeris ultima cura
Devotum Musis docte Melisse *caput.*
Sic tibi sint faciles Bœotia numina Musæ;
Impediatq; tuas laurus odora comas.
Atq; olim quandoq; mei non inscia fati
Vertet in auriculas nuncia fama tuas:
Omnibus indicas fac luctum, Paule, *Poetis,*
Et nostri, dices, pars fuit iste chori.
Sic dices, tumuloq; dabis tua carmina nostro,
Carminibusq; tuis carmina junge mea.

Hic situs est, qui nec vixit nec mortuus olim est,
Nam mors viva illi, mortua vita fuit.

FINIS.




HADRIANI

HADRIANI JUNII MEDICI LVGDVNENSIA

NEC NON

POETARVM QVORUNDAM PRAESTANTISS.

CARMINA VARIA.





AD
HADRIANVM
JUNIUM MEDICUM ET POETAM
clariss.

Ἀκροστιχίς.

HÆC monumenta tui Latoni, doctissime Juni,
Accipe quo vultu versus componis, & orbem
Delectas totum, Musas veneraris, ab illis
Rursus honorandus: quod certè fœnore multo
Impleri constat, quando te præcipuè unum
Ante alios cumulant donis, & divite gaza.
Nos quoq; (quos aliquo Musæ dignantur honore,
Omnes qui numeris carmen contexit mus) istud
Iudicium cœli sequimur, studioq; tuemur.
Unus adest Latomus, qui te, non prorsus ineptus,
Numinis instar habet. Sed tu mortalia nostra
Immortalis ama, & quantos licet assere cœlo.
Omnibus hoc summis afflat natura benigna.

Johannes Latomus.





CONSULTISS. AC PRUDENTISS. V.

ANDREÆ BERTHOLDO CAMERAE ELECTORALIS BRANDENBURGICÆ ADVOCATO.

M. JUSTUS GRISIUS
S. D. P.




VUR tuo ſub nomine tertiam hujus libelli partẽ apparére voluerim, cauſsas habui quamplures, easque luculentas. Et ut cæteris dimiſſis, domeſticas tantũ attingam, quis eſt civium noſtrorum, qui neſciat, quo me favore complecti ſoleas, & amore planè ſingulari? Ego verò, etſi ad bonos amandos ſpontè propendeo, nihilque mihi gratius accidere poteſt, quàm ut cum doctis familiaritatem queam contrahere: neſcio tamen, cujus vel ſideris, vel genii ductû, ita tua mihi adrideat amici-

tia,

tia, ut haud meminerim ullâ in re me suavius acquievisse. Quocirca ut in plures indicarem, quàm gratum, quàm jucundum mihi sit, me abs te in numero haberi amicorum; hunc carminum fasciculum, non meorum quidē, sed ex præstantiss. Poëtarū monumētis variè de dispersis, à me olim collectorum, ut testis apud posteritatem sit conjunctionis nostræ, tibi nuncupare volui. Nec dubito, quin vultu ea sereno sis accepturus, non tàm quod ego potissimùm mittam, quàm quòd te Musicis epulis mirificè delectari intellegam. Quamvis enim forensibus negociis ita districtus tenearis, ut quò te primùm vertas, sæpè nescias: ad studia tamen hæc, quæ humanitatis vocantur, quandocumq; per graviores occupationes licet, recurrere soles; ratus, amaritudini, quam animus ex vasto Legum æquore contraxerit, nihil mederi promtiùs, quàm lympham, ex dulcissimo Musarum fonte haustam. In qua sententia te permanere jubeo. & mihi etiam atque etiam valere. Berolini. IV. Id. Aug. Anno 1615.



LUGDUNI



LUGDUNI BATAVORUM A GRAVI OBSIDIONE LIBERATIO ILLUSTRISS. PRINCIPIS AURASINI ductu auspicioque facta.

CARMEN I.

Castellis validis longinqua indagine junctis
Passimq́; obstructis fossis incilibus, in quas
Lintribus ac cymbis via laxa patére solebat,
Cratèq́; perpetua valli praescripserat hostis
Mœnia Lugduni, jugulis juratus Iberus:
Non vera obsidium virtute parabat & armis,
Fulmineis non ille tubis, tonituve pilarum
Concussit muros, non oppugnando corona
Praesidio externo vacuos invasit: iniquis
Scilicet esse ratus parcendum sumptibus, ultro
Quos patefactum iri sibi deditione videret,
Et gravis annonae parcae reseraret egestas.
Sed miserum leti genus esuriemq́; famemq́;
(Illiacis graviora malis) quibus urbs Perusina,
Inq́; rogum cecidit funestum Graia Saguntos,
Sedulus urgebat: pertracta at dum mora longum
Spem prope constantem eludit, molimina cedunt
Irrita, dum variae fortunae incerta timentur,
Redditus ingenio, patrias conversus ad artes

 Et Pae-

Et Pœnas fraudes, mollißima tempora captat,
Indigenumq; dolis fabricatis pectora tentat,
Dißidiumq; serit, superos Eris inter ut olim.
Fœdera præscribit sanctißima, lege Solonis,
Ac potiora Numæ, quæ adjuret nescia turba.
Serpserat hoc virus, potiori parte senatus
Infecta, pacem infesto sperantis ab hoste,
Et veniam admisso solidam, portis reseratis.
O probra & patriæ labes cætusq; rebellis,
Divini cultus quem falsa afflaverat aura,
Clandestinane consilia huc recidisse videntur,
De miseræ ut plebis cervicibus alea currat,
Vitaq; sit ludus? procul hinc pudor iste facessat.
Ergone ab immani veniam speretis Ibero,
Cujus menti altè sententia inhæsit avita,
Hæretico servasse fidem triste esse piaclum?
Degeneresne animos timor & vecordia tanta
Obsedit, prædæ intentum, cupidumq; cruoris,
Qui fidei leges toties violarit, Iberum
Credere mansurum dictis, pactisq; staturum?
De matutina quid dicam fronte, cucullo
Contecta, atq; supercilio graviore, sed alvo
Prominula molle ingenium quæ spondet? at ille
Emißis dives tabulis quid deinde reponet,
Purpuream quum secta animã vomet inclyta cervix,
Vitalesne auras sic ille refundet in artus?
Circie vosq; alij, quid mendicabula, fida
In rem præsentem, si diis placet, agmina: cœtus

Fœmineos

Femineos lustris extractos cogitis ultro,
Edoctos urgere altis clamoribus omnes
Paniceum famis auxilium, quum farris abundet
Factio, quæ vestri studiosior ordinis extat?
Mox patuere doli occulti, tenebrasq; retexit
Clara dies: fluido sic putre cadaver odore
Proditur: id sensit rebus capitalibus acer
Bronchorstus, *sensere urbis duo lumina* Douzæ:
Tum verò excubiæ vigilum prætoria circum
Disposita coëunt, observatorq; locatur
Intentus custos, quorsum molimina tendant
Cæca & consilij fucus, ne occulta popellum
Fabula seductum raperet, turbasq; cieret
Seditionis amor, vecorsq; oblivio recti.
Sic datus insomnis Cetus Cepheidi custos:
Observavit Aristorides sic Inachida Argus.
Noxa malo interea triplici Lugdunica vastat
Mœnia, dum Libitina gravis demittit ad Orcum
Millia multa virûm: diræ contagia pestis
Grassantur: velitando perit generosa juventus
Atq; fames mediis furit implacata medullis.
Anxia sollicitum Princeps te cura coquebat
Interea, eriperes quanam ratione viaq;
Obsessiq; alimenta dares Cerealia, pullos
Involucres veluti caveæ de carcere mater
Ereptura, aditus omnes pertentat alumna,
Si nequeat, natis pia pabula suggerat ore.
Haud secus explorare vias aditusq; locorum

 Princeps,

Princeps, in tuto salvos uti sisteret omnes:
Mirificum dictu: sed enim dissuta resolvi
Posse prius visa est mundi compago capacis,
Quam capier possint, aut æris fulmine sterni
Hispanæ moles, manibus fabricata Cyclopum
Præsidia, ut steterit defixo lumine pronus
Princeps: nam quid agat? restat via sola vocare
Cœlum in vota, stat hoc animo precibusq; litare,
Postquam ope mortali profectio desperatur.
Non petit oraclum Phœbi, non consulit antra
Cyrrhæa, aut cæsis eventum quærit ab extis.
Consultoris opem placet implorare Deiq;
Iussa sequi, & monitis vestigia figere certis.
Nimirum oppositas Rheno Oceanoq; parenti
Scindat ut aggestas moles: non ut bimarem Isthmon
Adversante DEO aggressa est pertundere Roma.
Salsa ut sic Tethiis simul & Rhenus pater undis
Auctus adoptivis latè per aquaria terras
Mergeret infusus, speciem maris undiq; præbens:
Qua ratione rates pandas, Cereremq; carinis
Stipatam, obsessæ submitteret ocius urbi,
Placandæq; fami extremum lenimen & ægris.
Ergo huic consilio insistens, quo numinis auram
Hauserat afflatus, rutris marrisq; rescissis
Aggeribus, Neptunum immittit in arva furentem
Diluvio quali vidit Peneïa Tempe
Undasse Ogyges. Iam squammigerum agmen in arva
Proteos admissum imperio, nova regna stupere:
Insuetas

Insuetas mediis ulmis componere nidos:
Proq; alga fæni metas, bubus ante parata
Pabula, remigibus latè percurrere primis.
Tum verò lembis stratisq; triremibus æquor
Prosubigi jubet, ut pellat de sedibus hostem,
Securasq; sui nimium terrore cohortes
Dißipet. huc Boisote *(nec id sine numine divum)*
Deligeris, cujus virtus bis in hoste reluxit
Deleto, & captis toties mersisq; carinis.
Argolicos veluti lectos Heroas Iason
Æsonides ad se allexit spe velleris aurei.
Nautica sic pubes & præda & laudis amore
Tracta ducem sequitur, remexq; sedilia complet.
Claßipotens partim hanc summisit Ulyssea mortis
Contemptu quæ nuda hostes perrumpere sueta:
Partim Circeium, quod factitio sale dives
Illustri fama est (ea littora Grajus Vlysses
Naufragio tenuit Circesq; cubile petivit)
Hoc commilitio instructum Batava excipit ora.
Æquorea adjungunt sociales oppida vires.
Tum verò patriumq; decus nomenq; tueri
Contendunt Batavi, & famam reparare jacentem.
Ter centum armantur lintres celeresq; faseli
Trudibus ac tonsis, pluteis, contisq; bifurcis,
Qui penus annonamq; vehant & nautica signa,
Cum armamentis hosti incussura pavorem
Bellica tormenta, & muros ruitura fragore,
Quos propugnacli vice communiverat hostis.

Alite felici aggreditur sic classis Iberos,
Naviter indefessa gerit rem Marte secundo.
Opportuna quidem cuncta hæc, sed inanibus orsis,
Aggeribus postquam eminulis, resupinaque clivis
Accessum tellus propriorem arcebat ad urbem,
Et fistucatis sepes densa ordine palis.
Spes erat una super, fluctus decumana superbos,
Si præter solitum tempestas tolleret atrox.
Nec cœlum votis aversum defuit, æquor
Monstrificè intumuit radijs lunaribus auctum,
Dante operam Cauro, tibi quo tunc Rhene tumebat
Alveus, & pluvio Iove, quo rigua arva natabant.
Cœleste auxilium major vis concita juvit.
Subsidium longè præsentius attulit isthic
Cœlitus immissus, Mavortia pectora terror
Percellens subitus, Panos de nomine dictus:
Capripes hic etenim quoties nemerosa redunco
Mænala personuit cornu, mox monticolæ omnes,
Cum Faunis thyasi Satyrorum, auritaque turba
Præcipites nota antra petunt, Spelæaque cæca,
Intima præcurrente metu præcordia. Nempe
Incubuit subiti vis tanta pavoris Ibero:
Sponte sua castella ruit, vada quærit in undis,
Sed mediis vitam sine subere linquit in undis.
Undique diffugitur, si quà via tuta saluti.
Abijcit hic onerosa humeris Demosthenis arma:
Ille fugæ latebras ornat, dum lignea scandit
Vulcanus tecta absumens: hunc implicat error,

Amba-

Ambagesq́ viæ medios involvit in hostes.
Pars quoq; poplitibus glaciatis debilis, inde
Prorsus ineptæ fugæ, paßim mactatur inulta,
Vicinus lacus est qui Harlemia mœnia longe
Prospectans, utrinq; angusto desinit ore:
Pluribus hic leti effugium, tutumq́ receptum
Præbuit, ascensis, dum solvitur ora, carinis.
Lugduno sic parta salus (mirabile dictu,
Rara inter meritò numerandum exempla) sub uno
Temporis articulo haud una ratione modoq́;
Dum pater Oceanus tumido violentior æstu
Æquoreas altè terris infuderat undas.
Dumq; metus gelidus coiens vitalia circum
Exangues artus, animosq́ hebetaverat hosti.
Libera tum claßis, veluti perfuncta periclo,
Carbaseos intenta sinus suspensave remis,
Labitur ac pelagi spatioso tergore fertur.
Constratum videas mare fervere lintribus omne,
Quaqua inter Delphum generoso nobile Zytho
Prospectus patet ac Rotæ emissaria Erasmi
Natali famosa ortu: latè albicat unda
Curvatis Cauro velis crispataq́ tonsis.
Navigij hic alvo stipatos vectat acervos
Triticeæ segetis, secalen, & adorea farra
Fracta molis, orbesq́ & torrida pondera panis
Cocti iterum, nautis proprij: illum tosta suburrans
Hordea factitij cocturæ accommoda vini.
Siccæ alium fumo pernæ & succidia porci,

Salgamaq; aut onerant pisces aquilone rigente
Soleq; durati, aut halex muriatica, orexi
Languenti appositum solamen delitiumq;.
Altile quid genus hic, natumve paludibus agmen
Quidve saginatum, & matrum pecus ubere abactum,
Commemorem, aut vitulos & conditanea carnis
Segmina, divinumq; salem, quem littora densant,
Quemq; dat excoctum longinquis India cannis.
Dolia ne dicam conferta hic pinguis olivi,
Et quantum obsidio humanos convertit in usus.
Præterea belli vivaci sulphure factam
Materiem, nitrum mordax, & fusile plumbum.
Sic se Lugduno infundit, nova gaudia, classis,
Obsidionalis gramen meritura coronæ.
Ubere dum cornu penoris genus omne revectat,
Quousq; prius teter sorex & muribus hostis
Cattus, latratorq; canis, quos depsita tauri
Tergora, corruptumq; undis far paverat, illos
Nunc meliore dapis refici sors prospera bonore
Præstitit, oxycratiq; vicem lymphæq; meracæ
(Deliciæ hæ potus fuerant præ nectare dulces
Obsessis) Zythi melioris copia larga,
Lenæusq; latex, Rheni quem prœla refundunt,
Sequanicisq; iugis natus, complevit abunde.
Verum quanta animos tentatis sensibus ægros
Gaudia commorint, conferta classe paratu
Dapsilium omnigenô rerum, sub limina portus
Invecta, quæ sufficiat cantare Camæna?

Contracta

Contracta ut sese laxarint pectora, lychni
Instar, qui tremulo scintillans lumine, parca
Palladij quoties superant alimenta liquoris,
Mox affuso oleo vires vitamq; resumit.
Ast insperatæ postquàm uber copia frugis
Attonitos oculos obiecta inflexerat, illi
Tantaleasnè epulas fugitiva gaudia cernant,
An veras ut opes, sic nec pro insomnio habendas,
Mirantur secum: & dum festos tollere plausus,
Signaq; lætitiæ clamoribus edere certant,
Expressus lachrymarum imber prorumpit in ora,
Præclusoq; animæ medio vox tramite inhæret.
Sed pulsa ex animis nebula, sibi reddita plebes
Quos non lætitiæ motus ostendere visa est:
Sidereum scandit fausta acclamatio cœlum.
Nomen Aurasinum crebris vocalis imago
Boisotumq; simul repetit mugitibus: ipsa
Nomen utrumq; sonant numeroso compita versu.
Æra cava è turri complosa & tympana bruta,
Ætheraq; horrisono complent tormenta boatu.
Gloria & angusta laude & sis mactus honore,
Qui regis aereos tractus cœlumq; profundum,
Lunarisq; globi imperium terrasq; jacentes,
Alme DEUS, tantam in molem quos stagna jubente
Creverunt, lintres vasta ut super arva natarent:
Per quem hosti pavor infusus cum pectore vires
Dispoliat miseramq; invito præripit urbem.
Macte animi Princeps; cujus ductu auspicioq;

Lugdunum infelix jam deditione propinqua,
Enectumq; fame, exivit fastidia longæ
Obsidionis, & excussit juga ferrea Iberi,
Uberéq; annonæ est auctum castrensis honore.
Macte bonis animi princeps cui militat æther
Arduus, ô terris longè dignissime, cœlo
Dignior hic meritis, operâ mortalibus illic
Præstanda, quam gratuitò partiris in omnes.
At cave ne repetas, nisi serus, sidera nevè
Destituas altis immersos fluctibus: olim
Sat citò te reducem convexi macchina cœli
Accipiet, gemitura tuo sub pondere, jamq;
Assuescas precibus votisq; favere tuorum.

AD
LUDOVICUM BOISOTUM MARIS PRÆFECTUM, OB LIBERATUM obsidione Lugdunum.

Carmen II.

QVID Sexte Magni degener proles patris,
Dici arrogas Neptunius?
Quid sumis arma terriquassoris Dei
Ultro, tridentem fuscinam,
Chlamydaq; cærulo nigrantem murice?
Absiste, nam rector maris
Virtutis ergo utrumq; Boisoto *dedit*
Insigne ferre proprium.

Macte his bonis Boisote quodq; contulit
Victoria DEVS tibi
Navalis ornamentum, ei ecce jam novum
Benignus addidit decus,
Vrbis coronam liberatæ præmium,
Quam plecte circum tempora.
Nam parta ab hoste læta cum victricibus
Signis trophæa quam latent?
Testis cruenta spumeus voluens aquas
Scaldis mari in Britannicum.
Iactantur utrium instar, algis viliùs
Inflata Iberum corpora,
Ludus balænis, esca phocis, navitis
Spectaculum dulce & jocus.
Navale obisti fortiter bis prælium,
Quo concidit flos hostium.
Iam tertius nec quam Herculis minor, labor
Sub principis ductu pij
Erat super tibi exigendus in soli
Batavi aquis stagnantibus.
Nulliq; quàm tibi gravem hanc provinciam
Credi stetit sententia.
Vulcaniis vallatus armis protinus
Cyclopicisq; machinis
Cum classe scissas aggerum tranans vias
Hostem mora dempta petis
Imparq; longè copiis pauco licet
Lectoq; fisus milite,

Quem littoralis impigrum submiserant
Ulyssea & Circeium.
Deliberatæ mortis aut victoriæ
(Quam mente tum præceperas)
Certus, ferocis instar Ajacis ruis,
Stragemq́ꝫ das latè, obteris
Stantes, rescindis valla ferro & machinis.
Aperta ad urbem sic via
Fame Saguntina peresam, liberas
Armasq́ꝫ commeatibus.
O læta quantos civitas plausus dedit,
Magnis recocta gaudiis!
Uno ore Boisotum sonant cives simul,
Ætas gravis tenellaq́ꝫ.
Altasq́ꝫ cœli fornices Echo ferit
Boisotiotiani nominis:
Hic liberator, hic Camillus urbis est
Casuræ in hostiles manus,
Exempla passuræ novissima proximè,
Meritis quid hujus par potest
Dignè rependi? quæ recens factum vices
Æquare gratiæ queant?
Quæ lingua narret cuncta, quamvis ænea?
Tu major omni laude, tu
Meritus perennem lauream & cum Manlio
Torque aureo circumdari;
Honore dignus tibiæ ut Duillius,
Funalibusq́ꝫ prævijs.

Servi-

Serviliat hostis frontem inurendus nota,
Quem Panicus stravit pavor.
Nempe ille non captæ urbis, in se gloriam
Evanidam, ut per somnium,
Transscripserat, rumoris auctor undiq;
Mendacis instar Tantali,
Urbem tenere sub jugam falso ratus,
Ille ori ut admotas dapes.
Sic cassus hostis excidit voto miser,
Fugitq; cervis ocyor.

AD JANUM DOUZAM DE LUGDUNO FORTITER defenso, & ope divina liberato.

CARMEN III.

LUgdunum Batavum, solicitudines
Quod nobis peperit mille, periculis
Nexas innumeris: lætaq; gaudia
Conversa peperit fide:
Vates materiem laurigeri canant.
At te Douza *tamen dignius ex fide*
Nullius resonet pollice barbitos,
Chartisve historiam illinet.
Nos audita loqui possumus & vaga
Quæ vulgo pavido fama licentius
Tradit: tu facinus corrige liberè
Audax aut abole focis.

Lugdunum obsidio ab te premit undiq;
Castellis validis: lurida te fames
Exhaurit miserè viribus: & lues
Carpit Martia robora.
Lugdunum vacuum præsidiarijs;
Exhaustumq; viris: farris inops, ubi
Nec guttam laticis vitigini Enius,
Aut Zythi reliquam Ceres,
Non Pomona suo fecerat horreo.
Sed ventris vacui non domitus furor
Vitam optabat uti meta novissima
Finiret spacio brevi.
Squalebant macie torrida corpora,
Ut tristem Perusinæ urbis imaginem
Lurore exprimerent, & Mutinæ minus
Spectaclum miserabile.
At fidens animi consilio bonus,
Dux voto legeris, judice principe,
Quando extrema minans DOUZA necessitas
Te poscit patriæ Hectora.
O cœcis quoties dura cuniculis
Hostis solicitat pectora vertere,
Albana arte potens, intus alens Tigrin,
Cunctis exilium parans.
Dissentire tamen conditionibus
Quamvis melle litis, fortis & integer
Perstas, mente tenens nobile Reguli
Exemplum dare posteris.

Verùm

Verum exsors fidei corruit irritus
Astus; spes potiundi occidit, occidit:
Urbem cura ducis pervigiles DEI
Numem propitium regit.
Ruptis ni properè molibus aggerum,
Infuso pelago Tethyos è sinu,
Stagnassent liquidis fluctibus obruti
Campi, res malo erant loco.
Dux Neptunius hac usus ope, expulit
Lugduno esuriem, cornu & Amalthea,
Quo rerum satias largaq; copia
Plenè clauditur, intulit.
Mutata hinc subitò tristities fori,
Squallorem ex animis frugis opimitas
Discußit, subijt deinde repens nitor,
Postquam exceßit amor dapis.
Felices animæ, propositi tenax
Tu Douza, *& solida mente quati inscius:*
Boisotus *valido promptior impete,*
Hostem gloriæ amans ferit.
Æris neuter avens, aut pretio aut prece
Proclivis subigi, libera sed manus
Hinc inde, ingenium liberum, amabile
Infestum patriæ hostibus.
Indivulsa tenet copula vos laris,
Vos combinat amor mutuus hospites.
Huic rerum columen navibus, huic foro:
Ambo præsidium bonis.

AD

HADRIANI JUNII
AD
LUDOVICUM BOISOTVM
MARIS PRÆFECTUM DE
odio famæ & virtuti ejus
detrahentium.

CARMEN IV.

BOisote *Iberum pervicax agit livor,*
Quo nomen & victoriæ tuæ splendor
Oblitteretur, ac suæ interim labem
Vecordiæ, mendace muniat fuco,
Desertaq; excusare castra quo possit,
Fugamq; desperatione susceptam:
Hic classiaria à manu negat victum
Cessisse se, stagnantibusq; id adscribit
Undis, sed ille qui minus polum sævis
Cyclopicè terrebat, atq; humo moles
Struebat immanes, DEVM *arbitrum mundi*
Servare cunq; posse, si velit, tanto
Molimine obsessam negabat urbem: imò
Proclivius manu astra posse contingi
Aiebat, impiè scelestus, & vires
Trunias DEO *admensus. Proterviam at cœlo*
Qui fecit, hic justè graves luit pœnas,
Ferro, cruce, undis, igne, carcere absumptus,
Rebellionis in DEVM *reus summum.*



AUGU-

AUGURIUM IN NOVAM ET A PRINC. ARAUSINO recens institutam Lugduni Batavorum academiam.

CARMEN V.

ALes de Ciconum traxit quæ nomina gentē,
Auspicio liquido
Lugdunum invehitur primi sub tempora veris
Legitimum ante diem,
Nimirum octavo mensis, lustralia nomen
Februa cui dederunt:
Nuncia lætitiæ circum prætoria pennis
Concita remigibus.
Quando coronatos studiorum invexit honores,
Primitiasq; novas
Turba Deum Aonidum Phœbo comitata Chorago,
Gratiaq; alma simul:
Illustremq; Academia titulum addidit urbi,
Perpetuumq; decus:
Lustratoq; loco ramo felicis olivæ
Intulit illa pedem,
(Fœminei is fuerat lustro gegis ante profanus)
Principe dein solio
Eloquij interpres sacri considere jussa
Veste nitens nivea.
Iustitiæ sequitur vindex quæ legibus, æquo &
Iure regit populos:

Tum quæ Pæonias artes morbiq; professa est
Auxilium, subijt.
Hinc aliæ, quibus ore loqui Latioq; & Achivo
Musa dedit, subeunt.
Publicus est ita honos re confirmatus & albo
Alitis augurio.
Quæ streperis hostis ranis inimica, colubris
Noscitur esse nigris:
Hostibus infestis funesta ut nuper Iberis
Exitium dederas.
Defectos senio pennis vehit illa parentes,
Fertq; alimenta simul:
Sic tu doctores, complectere grata, parentes
Mentibus, atq; foves.
Macte urbs obsidio, famis & toleramine, & hostiû
Inclita perfugio.
At nunc pacis opum studijs atq; artibus unâ
Inclita Palladijs.

ACROSTICHIS IN PRINCIPIS ARAUSINI ADVENTUM.

CARMEN VI.

GAudete Belgij quibus cordi est salus
Vester Camillus, liberator publicè
Iuris, salutis restitutor pristinæ,
Legumq; vindex, quo jugum sævum duce
Excussum Ibericæ ruit Tyrannidis:
Ludibria gentis qui repreßit impiæ,

Maligna

Maligna dißipavit orsa, nunc adest,
Votis anhelis expetitus sæpius.
Sublimis ille humeris vehatur omnium.
Auferte tristem mentium caliginem.
Nunc cuncta festis perstrepant sonoribus;
Atque æra latis concrepent tinnitibus:
Spargatur altis strata tellus floribus,
Solamen hic fessis dabit rebus modò,
Aspellet hostem, subruet molimina;
Vicemque Solis aurei implebit pius.
Pacem reducet pacis imprimis amans,
Rem sospitabit quam tyrannus impius
Injurijs atrocibus convulserat.
Nunc decima Mauri erepta siccis faucibus
Corda pavida & labantia erigat bonis.
Excelsa libertatis eversæ hactenus
Percellat animos spes: simul grates DEO
Solvamus; & laude efferamus Principem.

FRAGMENTUM QVERELAE PUBLICAE:
CARMEN VII.

ERgo modus nullus crucibus tunicisque molestis
Grassandi, & flammis sævire perenne libido
Sæva dabit, jugulisque impunè illudere sectis?
Exilione (eheu) pietas damnata jacebit
Æternum, patrijs exacta penatibus, impos,
Et vitam trahet in tenebris luctuque malignam?
Vos prohibete nefas, dirique exempla piacli

Cœlicolæ ne tanta Erebo Noctiq; potestas
Gliscat in insontes animas, letoq; pacisci
Devotas pro Rege suo, patriæq; salute.
Quin oculos demitte polo Deus alme benignos
Atq; fave votis, gentem miserando, vocatus.
Ne tuus æternet furor armis sternere, sola
Cui face totum etiam genus extinxisse licebit.
Horrida Barbaries ac cœli dissona ritu
Impietas, tædam nunc prælucente Megæra,
Arma movent, Scythios arcus & missile cornu,
Duratosq; Salone enses, plumbiq; liquentis
Expediunt formas, & Amazonia arma bipennes;
Horrentes cristis galeas, tristesq; Sarissas,
Loricasq; graves hamis, cusoq; minaces
Igne tubos, Ioviosq; procul mentita fragores
Tormenta, & validas spiracula ahenea vires.
Nec solum hic se vertit aperto Marte gerendæ
Cardo rei, insidiæ nectuntur mille, subornant
Occultas sceleri clandestinasq; cohortes,
Agmina jurata, & pretio venalia vili.
Vulpinæ fraudes, & inexpliciti labyrinthi
Subdola consilia adduntur, tenebrisq; recoctæ
Artes, Tartareis fabricatæ à pestibus artes.
Aspice quot triplici diademate Causia fulta
Iuratos Reges in tristia concitet arma,
Et civile nefas, intestinosq; furores.
Allobroga immitem, duros cum Saxone Boios
Adriaciq; maris Neptunia mœnia, opesq;

Thus-

Thuscorum, geminos aquilas, Tartessia regna,
Sarmatiæq; feram & surgentia lilia vinxit,
Obstrictosq; tenet socialis fœdere nexus.
Non juncto ut Geticum contundat Marte tyrannum,
Neu Solymas repetitum arces pia cura fatiget,
Sed regno ut quærat vires & muniat auctas,
Excindatq; tuæ prolis documenta professos,
Exculcetq; fidem possessis mentibus almam,
Et gens indigenas fundis peregrina colonos
Exuat, in vacuos ita successura penates.
Hæc summa est, Romam regni caput omnibus unum
Esse placet, rerum dominam, gentisq; togatæ
Arcem, quæ tædam latè præluceat armis.
Hanc leges sancire novas, edictaq; scripta
Sanguine, Erechtidis quondam Draco qualia fixit.
Syllanam rabiem rorantia sanguine rostra,
Serviliosq; lacus circumventasq; phalanges
Æmulaq; invisi deposcunt secla Neronis.
Stulta Gigantæis quid gens conatibus, ausu
Vesano, in summum capitis scelerata tonantem
Arma, rescindendis cœli arcibus importuna?

AD LECTOREM DE POEMATIS JANI DOUSÆ,

CARMEN VIII.

Lugduni obsidium Batavi extremiq; labores,
Infractiq; fames animis tolerata, Saguntibi

Æmula, & Harmeli, fato at meliore: futurà
Exemplum seclis, & desidis otia Iberi:
Cordaq́; cervina, & trepido liquefacta pavore
Gentis inhumanæ, desertaq́; castra pudendo
Perfugio, conspecta hostis vix eminus umbra;
Insidiæq́; tribunitiæ, quibus urbs peritura
Maturè fuerit, iam proditione parata;
Omnia sunt Douzæ *victuro carmine scripta.*
Rursus ut urbs fuerit divinitùs obsidioni
Erepta, aggeribus scissis, pelagiq́; furentis
Alluvie, æquoreis latè arva tegentibus undis:
Quæ rerum satias, & pleno copia cornu
Principis auspiciis invecta affulserit urbi,
Boisoto *duce: quæ melius quàm barbitos ista*
Douziaco *resonans plectro cecinisse putetur?*
Qui dux exemplo, miles dextra, inde Poëta,
Historicusq́; simul testisq́; oculatus apertæ
Inclusæq́; urbis, numeros implevit Horati:
Venturæ ætati monumenta fidelia tradens,
Queis bonitas immensa DEI *testata relicta est,*
Vt nunquam humanis moneamur fidere rebus.
Quisquis aves oculo lustrare ut judice præsens
Spectator rerum seriem, eventumq́; secundum:
Quas non obsidio ærumnas pariatq́; feratq́;:
Quodq́; fames intestinos malesuada tumultus
Conciet, hanc vincat constantia prodiga lucis.
Pro patria atq́; focis, pro libertatis amore,
Proq́; aris pulchrum esse mori, lethumq́; pacisci:

Quidq́;

Quidq; maligna ferant, nunquamq; coërcita patrum,
(Queis sua majori quàm res est publica curæ)
Consilia in præceps semper tendentia : quodq;
Vrbibus excidium, funusq; minatur acerbum.
Blanditiis pronas præbere hostilibus aures,
Qui vulgo insidias faciunt, animosq; venenant.
Obtentu veniæ, dulcisq; cupidine vitæ.
Tum quid cura Ducum vigil & custodia posit,
Quid componendis animis oratio blanda,
Quid laqueus sonti præsens mox pœna parata,
Omnia commonstrat certo velut indice Douza.
Nocturna hunc versato manu, versato diurna.



POETA.

POETARUM QUORUMDAM CLARISS. CARMINA VARIA.



SATYRA INCERTI AUCTORIS BRACCATI INSCRIPTA.

Carmen I.

QUÆ portenta hominũ decoctrix proferat ætas,
Ætas vergentis mundi vicina senectæ,
Dum mecum reputo, dubium nova pugna lacessit,
Risumnè Abderæ, an lachrymas magis Heracliti
Laudem: utrum melior commorit causa, requirens.
Pondero nam quoties plaustralia saxa torosi
Tydidæ, & clypeum septeno tergore fultum
Ajacis, molemq́ꝫ & corporis æstimo vires,
Quale nihil nostro corpuscula tempore nata
Ferrent, naturæ vitium deploro caducæ,
Labentisq́ꝫ in deterius, cerealia contrà
Semina quàm faciant, segetem recidiva novare
Quæ soleant ægram, & vires reparare solutas.
Sed quia Mæonidæ jam tum conquesta Camœna est,

Naturæ

Naturæ senio humanum decrescere robur,
Corporaq; occulto paulatim deficere ævo,
Luctam animi pono, ac mirari desino, quando
Nil longum in rebus sit perpetuumve creatis.
Sic duræ amittunt senio sua brachia quercus:
Craßior & ferri tenuatur massa quotannis.
Nempè cachinnari tremulo libeat mihi risu,
Quum video gentem, illustris quam gloria rerum
Vexerat hactenus astra super, rumoris abusu:
Militiæ quam omnes numeros partesq; tueri
Crediderat quædam virtutis opinio falsæ,
Naufragam in adversæ scopulos impingere famæ.
Nam quæ Pellæis votis jam major & ausis,
Egressa Atlantis fines, metasq; supremas
Herculis, oppositas Arcto tranavit ad oras,
Inachidæq; sequens vestigia Perseos, orbem
Inventum ipsa suos alium patefecit ad usus,
Ignotasq; hominum subjecit prima figuras,
Et fractos duro imperio parere coegit:
Nunc eodem residi somno, ventriq; operata,
Pensilibus vehitur plumis, venerisq; supinæ
Manceps, delitias atq; ignava otia captat.
Militiæ veteris desertrix, cui jaciendis
Aggeribus, foßisq; manus durare, labores
Exantlare graves, hyemes sub pellibus atras
Exigere, & Soles æstivos sub Iove nudo
Ludus erat, pubesq; cibis assuerat inemptis
Esuriem placare, sitim restinguere lymphis.

Gramineusq; vicem cespes mensæq; toriq;
Explebat: mores alios inolescere vidit
Nostra ætas, namq; excubias ubi postulat usus,
Hunc ut agat, cubital pulvinosq; extruit altos,
Molle quibus latus, & cervix resupina recumbant.
Culcitaq; adjicitur plumis benefarcta, fovendis
Artubus egregiis, si diis placet, & Iove dignis.
Fœmineum taceo fastum, luxumq; profundum.
Cuncta hæc militiæ florem corrumpere, nervos
Corporis atq; animi cœperunt solvere, donec
In morem transumpta lues, ceu melle venena
Illita, naturam infecit, cum Elpenore gentem
Mutavit porcis contactam verbere Circes.
Non sic Hannibalis Barcæi militem opimæ
Mœnia fregerunt Capuæ, non ganea solvit.
Principio bona pars Veneris contagia sensit
Impuræ, atq; experta luem, quam nobilitavit
Parthenope, & latè infudit divinitùs orbi,
Debilitare artus solitam & corrumpere vires.
Pars melior Cybeles non æmula sponte ministros
Assimulat, Phrygio haud cultro demessa, sed arte
Hermogenis caulem genitalem trunca vagatur,
Aut vasa amisit, veneris justissima nacta
Præmia vulgivagæ: quippe hinc exosa Calyptras
Fœmineumq; genus, tristis solatur amores
Adversos, pulsatve chelyn, Citharave jacentem
Suscitat illa animum, gallos imitata spadones.
A diverticulo, sed rem veniamus ad ipsam,

Braccatæ

Braccatæ ut studium gentis memorentur & artes.
Cur verò haud liceat sic appellare? superbo
Repperit invento hæc nuper femoralia, follis
Distenta in morem tumidi, quæ proximè equestres
Exæquant census, baccis candentibus, auroq;
Illusa, & serum tenui subtemine texta:
Nec verò valeat fraterculus ille Gigantum
Censeri, cui non onerosum mole selibres,
Ac macie tenues clunes suffarcinet, isto
Subligar exemplo ad gentis discrimina factum.
Contrà Nisæi Bromij agmen cetera nudum
Pampinei thyrsi & velabant nebrides hirtæ.
Verùm operæ pretium est genitales pandere gentis
Terras: militum inops regio est, à messe virorum
Rara nomen habet, pelago duri adsita Atlantis.
Mars pater Othrysiis hac parte benignior oris
Affulsit propiore, ubi miles nascitur, astro.
Hoc ubi bella geri placuit, vel postulat usus,
Non nisi de curvo miles reparatur aratro.
Pangere taleolas suetus, vitesvè putare
Frondator legitur, vel agaso, coprophorusve,
Qui vilem inter opes tegetem, paleæq; cubile
Quando domi est numerare solet, pater esuriei:
Qui rabidi ventris jejunia pane secundo
Placat, cum lympha, & tunicatæ pondere cepæ:
Aut ructatores raphanos, atq; allia mandit.
Fur ubi quod tollat, non quærat: præter Arachnes
De trabibus nexos casses, scutulæq; labores.

Quod

Quod si quis Luna prior, ac natalibus ortus
Arcadum, in astragatis cui nobilitas habeatur,
Seu censu major, proventu vinea nullo
Quem beat, ac sumtum non rura paterna ministrant:
Otia deses agit, metuens liberq; laborum
Otium alit fidus soluq; minister herile,
Demensum domino quærit miser ille diurnum,
Pendendas drachmas, sera ante crepuscula noctis,
Ni malit bubulo lacerari verbere terga.
Fonteis aquam is vendit per compita tresse minuto,
Bajulus, aut asino pando comes atq; strigoso.
Mendicatve stipem vicatim factus Agyrta,
Unus de Cybeles grege scilicet, ingeniose
Emungens nummos: mediæ vel in agmine turbæ
Conferto insidias loculis struit agricolarum.
Aut lenocinij benè rem gerit arctè sequestra,
Sic dominum pascit quavis ratione minister
Non laudatæ artes, vel opes quæ fortè parantur
Aut mercatura, aut ruris proventus aviti,
Sic texto soliti suras includere sparto,
Et patrias nudo glebas qui calce terebant,
Larvales umbræ, & quas augur in omnia vertat,
Æthiopum formis similes, sole ora perusti,
Enectiq; fame, postquam compellit egestas
Fida comes, Sacramento dant nomina, terras
Inde petunt alias: mox postquam arentibus arvis
Mutarunt alio sub climate pinguia rura,
Instructasq; domos aliter locuplete penus vi,

More

More anguis, primo ponit qui vere senectam,
Deposito pedore, novum cultumque habitumque
Accipiunt. fit purpureus, pannucius ante:
Purpurea ut duce cum Pallæo illum rapiat mors.
Simius at quamvis Sarrano fulgeat ostro,
Non formam emendat, non ingenium malè natum:
Tum simul irrepunt fastus moresque protervi.
Nobilitate ipsis Cerdo se Regibus æquans
(Subula pro insigni & sutoria scalpra fuere)
Imperat, & balbo quidvis sermone minatur,
Aut nutu ac digitis, stolidus liberti imitator
Pallantis, loquitur, sic nullius alloquio usus
Affinem ac generum Regis se venditat, illi
Cedere non ortu, neque nobilitate secundum.
Auro incrustatum, gelidique Salonis in undis
Duratum gladium, quem sedula cura nitentem
Servat, non alium meliorem Regibus ipsis
Ostentat: DEVS hic illi est, postquam ara sacratum
Carmine Tyrrheno lymphæque aspergine tinctum
Reddidit. Huic agna litat, hoc duce tutus in arma,
Ausurus quodcunque nefas, ruit: æris amator
Est idem, sed munificus, quum sacculus ære
Intumet, ac votis laxarit turgida penem
Bilis, & optato potiitur furiosa libido.
Aut ubi opus Themisone, gravi in discrimine rectum
Qui clavum teneat, verpumque refibulet atrum.
Aut ubi febriculæ vis præcipitarit Orexin
Et sæva affligant distentum tormina ventrem,

Quum

Quum formica intus capitis vitalia rodit,
Atque intestino laniat cerebrum cruciatu.
Pectus avaritiæ nutrix obsedit inanis
Ambitio, tituli perfusaque gloria fuco.
Relligionis amans idem, vult esse videri
(Nam sinceræ atrox odium à primo imbibit ortu)
Pensilibus numerat dum vota precantia sphæris,
Patrantes oculos ubi circumgyrat in orbem
Formarum Paris egregius, dum murmura secum
Rodit, sacrifico aßistens, nocturna uti sacra
Clodius incestèt, natæ aut Lycomedis Achilles
Delitias faciat: pietatis imagine tali
Mens obsessa calet: tum à vertice multa decußis
Ducitur in pectus, posticaque tergora munit.
Scilicet hæc arcent amuleta pericla, necesque
Hostiumque insidias tacitas, & vulnera cœca.
Præsidia hæc sociata undis lustralibus armant
Hectoreas hos ferrugineos, quos tinxit Iberus.
Lædere posse negant catapultam, aut mißile plumbum
Talia cui fors arma dedit Vulcania ferre.
Quodque invicta cutis, nulloque forabilis ictu
Duretur, surdis sacris qui commodat aurem,
Credunt, ceu tripode è Phœbi quod fluxerit, illi;
Perrhæbus qualis memoratur corpore Cæneus
Illæso: adde quod è muscis videas elephantos,
Nasci, & posse putes contingere vertice olympum;
Quando sacri fuerint Cortina tincta lavacri
Enses, signa, sclopi: quasi baptisteria solis

Lustrati

Lustrati sacrata animi natalibus, illi
Mancipio teneant privatim jure profano
Vertenda in quosvis usus, quos stulta libido
Occupat: heu fœdum & facinus memorabile sæclis.
Maxima monstrorum genitrix Nilotica turba
Allia, cum cæpis, raphanos, & sectile porrum
Hortenses venerata Deos, genitalia adorat
Numina: pars colubros, crocodilum, cercopithècos,
Atq; canes, ut cuiq; usus terrorve ligarit
Sollicitam mentem: sed enim quis edule colentes,
Quodvè queat damnum mortemvè adferre, timentes
Damnet? Quid facias istis qui relligionis
Proculcant, vertuntq; mera in ludibria nomen?
Qui res defectas sensu motuq; nec hortis
Cognatas, cultu ac divûm dignantur honore?
Quando æs campanum, gladios, vexilla, tubosq;
Lustrali lympha, & saliari carmine tingunt,
Nomina ad arbitrium imponit conficta libido.
Nuper equam sibi dilectam Fernandus honore
Flaminij decorare volens, prius abluit undis,
Lustrifici accedunt cantus fronte illita olivo:
Mutuum & à pura signatur virgine nomen.
Sculpuntur soleæ primordia mystica legis,
Quæ panxit vatum cecinitq; quadriga sacrorum.
Credulus incolumem quod sisteret alea Martis.
Auxilio hoc omnes tutum fidebat ad ictus
Sese evasurum, nec tela nocere, nec hostem
Posse ratus: tanta in Magico fiducia ritu.

Virginis idem aures crudæ trahit illice suasu
In nassam allectas, taciti ad commercia lecti:
Obsequio duram, donis oppugnat & astu.
Conciliatrices adhibet, quæ sede movere
Terminum, & Æsonidæ valeant reparare juventam
Concocto, vel Thessalicas se vertit ad artes.
Turbine res agitur, torti aut vertigine rhombi:
Licia vel varij filis intexta coloris
Circundans aris, sancit lustralia vota.
Virus suppositas Lunæ quod spumat in herbas
Quæritur, atq; equuli truncus de fronte revulsus.
Cereus accedit sacranda raptus ab ara
Ac triplici myrrhæ grumo distinctus odora,
Quò mens excantata labet, vel amore liquescat.
Pensilis aut collo injicitur murænula, Flamen
Nocturnus triplici quam sacro illuserit antè.
His sævum Antiphaten flecti, Timonaq; durum,
Ac solvi in risum sic Crassi immobilis ora
Posse putant: arti si nec sic victa potenti
Illa manus dederit, pomum ter carmine punctum
Æmonio, Stygiusq; notis, cæco agmine, scriptum
Donatur, roseum fragrans: quo fortè comeso
Vt temerè exciderat, Pyrrhicum scrofa lutosa
Incepit mulcere, sequi vestigia, quaqua
Flecteret ille viam, rostro blandirier uni,
Observando unum concinnos edere gestus.
Ac Flaccilla procax odij & fastidij Iberum
In nomen, non ferre oculis, non alloquio illius

Dignari

Dignari solita, atq; magis quàm putre cadaver
Despuere, aut algam vilem: mutata repentè,
Quippè excantata Athracio Mauroq; veneno,
Cycladis extrema subsuto carmine in ora
Complexus petere, & componere labra labellis,
Deniq; prurire Hernandum jam cœpit apertè.
(Non Pandonium sic arsit Thesea Colchis.)
Flagitio ut fuerit propior: quum gentis amores
Suspectasq; animo conjunx ubi ruminat artes,
Sevocat abreptam teneris ab amoribus, omni
Exspoliat mundo, tunicam poni interiorem,
Cyclada mutari mandat, vivoq; cremari
Vestimenta rogo: mox postquam schema resumpsit
Illa novum, furor incestus de pectoris arce
Excidit, ingenioq; suus rediyt vigor: anguis
Ut posito exuvio reparat cum vere juventam.
Gens eadem (quo non abjecti certius extat
Ingenij indicium) consumendis alienis
Vulturiam navatq; operam, ventresq; suburrat
Iucundis animo dapibus, multoq; Lyæo:
Quantum vel Cyclops, vel sorbeat alta Charybdis,
Hylæusq; mero nimius, quum quadra aliena
Vivitur, & quoties non symbola ponitur illi.
Quando etenim nares alieni afflavit omasi
Nidor, ut accipitres conferti ad putre cadaver
Accurrunt, nervosq; omnes extendere certant,
Deplendis apti Cyathis & lancibus unctis,
Offenso si displiceat quid fortè palato,

Condimenta petit, vel aroma, Philoxenus alter,
Rugosumve piper, vel metam saccharis Indi,
Aut acre oxyporum stimulandæ commodum orexi,
Hæc summa est, fert omne expensum aliena culina.
Esurit inde domi, tenuiq; uti cochlea succo
Victitat ex anguis, lolij vix despuit usum:
Proq; mero jam ventri Acheloia flumina miscet.
Commutantq; dapes raphani capitataq; porra.
Aut spatiando famem fallit: tum fortè fenestræ
Aut Clathris virgo si prospectaverit, undam
Iste salivarem sputi quam excreverit, haurit,
Oreq; delingit jejuno, ac pronus adorat.
Aut cujus captum se somniat igne, capillos
Colligit in nodum tortos, loculoq; repostos
Circumfert secum aurato, cimelion ingens,
Relliquijs velut Indigetum quibus oscula libat.
Præterea plerunq; duces aut lumine captos
Alterutro, aut quibus est visusq; hebes atq; oculorum
Surda acies, quos propterea manca ingenij vis
Obtinet: hi rerum clavum & moderantur habenas
Bellorum, vitreos oculos hi naribus aptant
Argos qui faciunt, & lyncea lumina reddunt
Scilicet: horum operâ formas spectare, locare
Castra, & obire solent sic signa minantia pugnam.
Prætentant iter his, ceu corniculis limaces:
His sine caligant, ceu mersi nocte profunda.
Sed quoniam immites oculo Læstrygonas uno
Pars bona mentitur, feritatis ut æmula eosdem

Sævitia referat quid mirum? illuſtria cujus
Ediderint quoties documenta, referre pudebit.
Non muſſanda tamen crudæ vecordia gentis
Invictos, quorum patuerunt mœnia ſponte,
Quorum aut præſidijs inſedere oppida juſſi,
Nil vel Martium habens, vel dignum milite: namq;
Poſtquam exercuerint quod ſuadet tetra libido
In miſeram nudo plebem graſſantibus enſe,
Tum ſi fortè unus ſolùm ſe opponat & alter,
Cui viſa intoleranda fuit violentia gentis,
Continuò inclamant Spaniam, qua voce cientur
Cuncti, ſcilicet ulturi commune periclum.
Tantus ab uno omnes pervadit frigida terror
Pectora, deteriore loco quod conſcij inhorrent
Rem ſibi ſtaturam, ſi unus depugnet in unum:
Quippe herclè adverſum plures non eſt locus uni:
Conciderat Tirynthe ſatus, dubiam niſi pugnam
Iöleos ſocius ſtabiliſſet, opemq; tuliſſet.
Exemplumne grave hic feritatis diſſimulabo,
Taurica quale ſuis Diana averteret aris?
Non faciam, non ſi mihi muta ſilentia mandet
Harpocrates, digitovè objecto comprimat ora.
Deditione prius clauſas patefecerat hoſti
Nardenum in Batavis portas. admiſſus amicè
Accipitur tectis, occultum at ſupprimit ignem
Irarum, immiſſis quem mox effudit habenis.
Depoſitis armis jam nil hoſtile timentem
Convocat ære cavo populum, coit omnis in unum

Turba virûm, ut pacem conceptaq; fœdera juret,
Obtentu haud alio veniunt plebs omnis inermis,
Cum senibus juvenes, parvi in penetrale sacelli:
Area non ulla est laniena visa profanæ
Aptior, ut cultum referat Mæotidos aræ.
Hinc ingens oritur clamor, gemitusq; cadentum:
Res geritur ferro, sternuntur corpora letho,
Obvia: non precio, aut precibus miseratio cedit,
Avulsoq; pijs genitorum amplexibus idem
Absumit natos furor: undat sanguine fanum
Innocuo, murisq; nota indelebilis hæsit,
Ætas quam ventura leget seriq; nepotes.
Tum vero nondum rabies satiata cruoris
Imbellem in sexum sævit laniata capillos
Agmina raptantur, nudis illuditur, omni
Exutas mundo expoliant, loca sacra pudore
Auri dira fames rimatur: cuncta libido
Indomita attentat: solum restabat, avara
Sanguinis ut tabo casorum immergeret ora,
Expleretq; sitim rabidam, aut ferventis aheni
Alvo decoqueret carnes, verubusve salignis
Figeret exta fami placandæ, aut si mora longa
Expectare focos vetet, ut crudam lanienam
Dentibus instituat gens effera, qualibus olim
Produxere animam dapibus Læstrygones usi.
Quale Thyestæo exemplo non pridem alimentum
Infantum miserorum extis Dragonius asis
Permisit Lusius, diræ author carnificinæ.

Quid

Quid circumscriptos ferali fœdere montes
Hannonios memorem venientum turbine cladum
Post involvendos incesta à gente? quid inde
Non experta mali est opibus Mechlinia dives
Antea, nunc vacua, & stupris polluta nefandis?
Vsipetum inde Gigantæo fabricata labore
Mœnia, non ausa hostilem expectare furorem,
Iliacis graviora mala ærumnasq; tulere.
Extortos queritur vacuata Antverpia nummos:
Trajectum taceo, sociam & simul hospitam Ibero
Vrbem, quam prædæ sibi destinarat opimæ
(Nam gazam antè sacram locupletem mente vorarat
Sacrilega) dextro nisi sidere præcavisset
Edocta exemplis, jam tum illætabile letum,
Præsensq; exitium pulsato fortiter hoste.
Quis risum incanus mento sapiente magister
Contineat, quoties revehit Soteria vertens
Annus, qui videat genus intractabile sævo
In sua grassando furiari verbere terga,
Nullus ut his Athamas componi aut possit Orestes?
Dixeris his succo cunctis opus esse Melampi.
Ergo exploratrix duri patientia, pubis
Spartanæ laudem meruit, quæ scissa flagellis
Prætulit obstinata mori, quàm prodere fletu
Degeneri victos se succubuisse dolori.
Tunc non ut Tragici quondam quos facibus ora
Oblita turpabant, larvati, carbaseisq;
Obnupti velis, pompam longo ordine ducunt,

Spondæos imitante pedes per compita gressu,
Enthea gens, uno Cybeles diversa ministris:
Fœda sibi Samijs illi quod vulnera cultris
Inferrent cum clade sui, & fanatica colla
Iactarent, turpesq; darent ad tympana saltus.
His nudum lacerant tergum, pectusq; flagella
Aspera, purpureumq; bibunt geminata cruorem.
Sed Manrice mihi dicas volo, cur operosum
Tunc summa erigitis ductum ad laquearia templi,
Ac vario illusam pictori pegma colore?
Quod circum illustrant lychni & funalia viva,
Quæ noctis vincunt tenebras: ubi plurima vulgi
Quæ teneant oculos, cum relligione pavorem
Incutiant animis, occurrunt: hasta cruenta,
Spongia præfixa hastili, tunica in consuta,
Alea, Pontificum tutuli, mitrataq; colla:
Pelves, malluvia, impuri mangonis Iudæ
Cum fartis loculis & reste appendice cervix:
Perfidiæ nummi testes, rictusq; salivam
Iejunam ructantis: ahenus clavus & uncus,
Aspera muricibus spinisq; implexa corona:
Tergeminæq; cruces, stantisq; voluta columnæ,
Loraq; sanguinea, & tribuli scuticæq; trinodes.
Omnia quæ veri simulacra haud inficior, sed
Quæ luci offundunt fumos, haut cortice nuda
Deducto: at vultis potius sic glande caduca
Vesci & quisquilijs, quàm fruge bona satiari?
Cur oculum mundi Solem, ne lumine lustret

Vestra

Vestra hæc, arcanis testem prohibetis ab aris?
Cur nox flagitijs sola opportuna tegendis
Deligitur? sacra incesta nocturna Cotyttûs
Cecropiæ coluere murus, vitiosa juventus
Pervigiles Cereris noctesque jejunaque sacra
Aptius haud aliud stupris tempus peragendis
Clodius exquirit? quid mirum? scilicet ora
Spurca libidinibus tetris Venerique dicata
Conscia mens horret dias sub luminis oras
Proferre: hæc animos tempestas deijcit atrox:
Nox malesuada operum, castoque inimica pudori,
Impulit huc fidos sceleri tenebrisque ministros.
Unum admiramur propriũ genti ac memorandũ:
Mellifici generis volucrum revocabilis ortus
Quo pulchrè exprimitur: namque hoc morboque fameque
Stirpitus adsumptum, mactato de bove rursum
Nascitur, atque novæ sobolis spem sufficit, agmen
Defectum reparans, & complens cerea castra.
Sic quando adverso ceciderunt agmina Marte,
Iacturamque gravem senserunt castra, timentque
Nominis Hesperij interitum patria procul, illi
Militiam sarcire suam docuêre novâ arte.
Nam quos calones, lixas, infidaque habebant
Servitia à pedibus, famosaque nomina furtis,
Militiæ probra, hos, reparent ut damna, stolones
Sufficiunt cæsis, præclara statumina belli,
Ut sui adoptivos hæredes nominis omnes:
Sive is Hyperboreo exierit sub sidere natus,

Sive jugis Scythicis hunc sanguine mater equinq
Paverit, aut furvis Eburonum excoctus in antris
Carbones oleat, tetrumq; bitumen odore.

JANI DUZAE NORDOVICIS, IN GRATIAM NOVÆ ATQVE ab Aurasino Principe recens constitutæ Lugduni Batavorum Academiæ conscriptum. Ad CORNELIUM REGIUM & GERARDUM HOGHEVÆNIUM Æmilij F. Collegas, unaq; secum Decreto Publico Academiæ eidem inaugurandæ Curatores delegatos.

CARMEN II.

GENTIS *Æmiliæ decus* Gerarde
Atq; Apollinei chori sacerdos
Idem nec minus utriusq; juris
Consulte optime: tuq; Delpho in urbe
Iam plus undecimum puto, nec anni
Consul unius, ô diserte Regi:
Mecum provida cura quos Parentis,
Illius patriæ parentis inquam
Cura, Principis optimi Aurasini
Communis Patriæ, ad Triumviratum,
Ex omni numero potissimum unos,
Ordinandæ Academiæ vocavit:

Post

Post tot prælia, tot neceßitates
Belli, atq; obsidij hujus, illiusq;
Exantlata pericula & labores,
Respirare aliquando ab his procellis,
Acquiescere Musicaq; in umbra
Lugduni incipientibus coloni
Assuetis Taratantara insonare
Cum tubis lituisq; dum tonantes
Tubi & murifraga æra conticescunt:
Dum serpenti comæ palam puellæ,
Tres nocte atq; Erebo satæ puellæ,
Fucatæ Eumenides, Erynniesq;,
Personis Charitum teguntur ora:
Et sororia flagra, sibiliq;
Mussant anguinei, tribus lacertis
Clare verbera concrepare docti,
Et sonis totidem dare in furorem
Mortales animos: trienniiq;
Tandem militiæ labore fessos,
At nondum saturos, tamen cruoris
Interjungit equos coacta Enyo,
Sacris Flaminicis studens Enyo:
Nec nostris negat ocium Camœnis
Iam belli medius togæq; Mavors:
Festis quid potius diebus hisce,
His inquam genitalibus diebus
Et natalitiis novi Lycéi,
Victores faciemus? huc frequentes

Vos ô Mnemosinæ & Iovis puellæ,
Et blandæ Charites adeste, & horæ,
Audimurne? an amabilis Poëtam
Vestrum insania ludit? audijstis
Opinor, video audioq; certè
Musarum salientium choreas:
Queis præit quidem, ut antè, verba Pæan,
At præstat Pelagi Deus ducatum:
Acceptam cui liberationem,
Acceptamq; salutem, & omne nostrum
Hoc quod vivimus, aut sumus deinceps
Victuri usq; feremus, ac quotannis
Seros ferre docebimus nepotes.
Qui nos tam propè ad incitas redactos
Labore, illuvie, esuritione,
Insomni obsidio, malaq; peste:
A Maura feritate vindicavit.
Magnam hoc nomine, magnam ab urbe tota,
Nobisq; omnibus, ô potens profundi,
Deberi tibi gratiam fatemur
Non soli tamen, hoc enim quis ausit
Sanus dicere, qui quidem fuisse
Urbi præsidio sciat Minervam,
Tutelare bonis ubiq; numen?
Objecta ægide spes opesq; nostras
Non à perfidia hostium, domiq;
Intrà valla modò, sed & sub ipsis
Urbis mœnibus usq; velitantûm

Tutatam.

Tutatam toties, ut olim Vlyxis:
De Re dum bene Publica mereri,
Et sese Aurasio suo placere
Ex summis opibusq; viribusq;
Usq; nititur, & Scholæ futuræ.
Nam sine auxilio Deæ hujus esset,
Pessum perpetuum in modum iveramus.
Nam quis obsecro te, quis urbe capta
Locus Mattiacis tuis, vel undis
Istis auxiliaribus fuisset?
Ergo ab hoste domestico quod intus
Tantum deditione non parata,
Catis (Iuppiter) & laboriosis
Usi consiliis togæ hinc, sagi inde,
Conservavimus urbem & oppidanos,
Custodi puto, Præsidiq; nostræ huic:
Quod verò obsidione liberati,
Nulli quàm tibi gratias habendas.
Atq; ipse hoc etiam indicare visus
Nuper, obsidione cum soluta
Primum, desubitò pedem reflectens,
Converso agmine, in alteramq; partem.
Ventis flantibus: unde erant profecti
Mutata vice, Cæciam Africumq;
Rursus Æolium remisti in antrum:
Tutandum, ut prius, oppidum relinquens,
Minervæ, nec ut Atticis Athenis
Olim Martis in arce, huic, tibiq;

Contro-

Controversia de novi Lycéi
Nata nomine: quanquam & hic tridente
Ritè cuspide Terriquassor usus,
Quantum sat potuit Tagi & Salonis
Potatoribus esse inebriandis
Nobis pocula salsa præbuisses
Queis & mox vetus illud occinebas
In aurem: aut bibite, aut facessite isthinc Allusum ad Græcum Prov. ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι.
Illuc unde malum pedum attulistis:
Et tota pariter migrate Læda
Sanguisuga & hirudines piorum
Quotquot Coprophori estis, aut Iberi
Maranum genus acre, muliones:
Nec vini calices meracioris,
Verùm tresse parabilem minuto
Sorbere in patria Tagum sueti:
Contrà hic non Acheloia pocla, ut illic,
Sed præ nectare sanguinem expetitum
Plenis faucibus usque Christianum
Ructare & bibere & sitire docti:
Insontumque hominum madere cæde.
At nunc ad latices meos vocati
Convivæ aut bibite, aut malam inque magnam
Illuc unde malum pedem attulistis
Quantum Coprophorûm atque mulionum est
Hinc abite crucem, Charoniumque
Vix hæc edideras, malam & repentè
In rem vidimus & crucem ire Mauros.

Quæ tu commoda, tam beata quamvis
Nobis præstita, munerisq; tota,
Iberúm domitor, tui esse scires
Neptune: haud ideò tamen Minervam
Præ te spernere, vel putare parvi
Visus: sed potius tuapte sponte
Huic concedere de Lycei honore.
Et jure, utpote qui vetusto ab usu
Provisum antea cognitumq; habebas,
Nostri si fieri oppidi colonus,
Rhenanæ & regionis iliceta
Tua longius irrigatione
Ista aspergere & obtinere velles,
Non te usu modò non agro Batavo,
Sed noxæ atq; etiam malo futurum.
Contrà non modò non malo Minervam,
Verum & præsidio fore, usuiq;
Cessisti hunc igitur Minervæ habendum:
Quæ præterquam animosa quòd virago est,
Vallis imposita arcibusq; custos,
Munitum sapientia gerens cor:
Belli munia quòd regit severi
Armata ægide pectus, ense dextram,
Illud dicere lancea volebam:
Doctrinis etiam, leporibusq;,
Bonis ingenuisq; disciplinis
Nostris præsidet usibusq; pacis:
Cunctis deniq; quæ manu patrantur

Artes

Artes Mechanicæ, & quotidiano
Conductæ precio, aut locatæ opellæ.
Quas nostri, veteri Ennij vocablo
Ambactos vocitant. Deæ & quis ausit
Huic se opponere, quæ tot aucta rebus,
Dotibusq; animiq; corporisq;
Distinctum triplici colore gestat
Albo, purpureo, aureoq; amictum?
Undantem hunc nimium decente motu
Quassando faciens decentem amictum,
Binos unde etiam sibi colores
Lugdunum, puto, mutuata nostra est,
Album, ac purpureum decentem utrumq;
Queis & tertius aureus duobus
Accessit color aurei Camilli,
Camilli illius, illius Camilli,
Condignè aureolo aurei Aurasini
Digni nomine: qui novi Lycei
Fundamen posuit solumq; Princeps.
O felix nimium, boniq; fati,
Et quidem merito tuo Lyceum, at olim
Textis nobilis & favente Diva
Dives lanificæ Rei officina.
Quippe & huic studio præest Minerva;
Ergatis merita unde ferre nomen.
Qua famosam etiam fuisse cura
Pridem Lovaniam refert vetustas.
Quæ dein Pieria vacans in umbra;

Ambactus apud Enn. lingua Gallica actus dicitur t. Festo.

Hæc ad colores Lugduni insignium referenda.

Brabanti

Brabanti auspicijs Ducis Iohannis,
Ad sacras animum appulit Camænas,
Oti facta negotiosa sedes
Non Belgis modò, verùm & his propinquis
Germanis, Italisq́, cumq́ Gallis,
Anglis, quid vetat & novam in Batavis,
Ductu atq; auspicio incliti Aurasini,
Et quæ iure suo præest utrisq;
Texendi studio & simul Camænis,
Lugdunensem Academiam hanc, eisdem
Illis, Lovaniense queis Lyceum
Usam principijs & auctam eodem
Sensim cultu adolescere? arduoq;
Cælo tollere verticem: invidendum
Istis, qui sapientiæ sub umbra
Et fictæ pietatis involucro,
Bullati cupiunt Sophi videri,
Nostros quos propè dixeram Magistros,
Ni me Lovanium hoc genus Magistros
Dicendum docuisset esse nostros.
Terræ pondera inepta: qui Magistri
Nec nostri mihi, nec sui videntur.
Nec digni Medicæ Rei sacræve,
Aut Iuris titulo utriusq;: verùm
Pleni ruris, & inficetiarum:
Imò rus merum, & inficetiæ ipsæ.
Quos Phœbus fugit, & fugant Sorores,
Phœbus delitiæ novem Sorores?

Et toto

Et toto procul exulare Pindo,
Atq; exesse iubent velut prophanos.
Cum sacrum tamen hoc genus sit omne:
Verum Lovanium fruatur istis,
Et cui tam benè convenit Duäco
Cum calvo grege Baccalaureorum,
Vel licentia quos licentiores
Suevit reddere, pileusve quadræ
Instar, atq; oleò manus inunctæ:
Aut laxæ manicæ, & pedes ad imos
Demissæ: in quibus haud videndus ulli,
Nec solum capite abdito latere,
Verùm & laxè habitare toto operto
Posit corpore Struthiocamelus,
Motas liberè & explicare pennas.
Nobis non licet esse tam solutis,
Præcinctisve malè, aut manuleatis
Qui Musas colimus politiores:
Sentimusq; seorsum ab his & illis,
Queis nos vix homines videmur esse,
Quotquot integrior tenet Minerva,
Sinceræ fidei nutrix Minerva:
In manum cui de manu Themistim
Scripturæ & Genium Sacræ, & Medendi
Artem tradidit ipse Dux profundi,
Et dixit, Tibi cura sit Lyceum,
Quod volens tibi jure cedo. Quantum
Immutatus ab illo Atheniensi

Neptu no

Neptuno, solidi repentè saxi
Natam è vulnere salsæ aquæ lacunam
Nulli civibus usui futuram
Auso Palladiæ anteferre olivæ.
Quæ modestia, comitasq; morum haud
Huic innata DEO, nec insita usu est,
Ad mores Domini sed Aurasini
Se componere Numina ipsa certant
Nec ponti modò Rex, sed & Deorum
Magnus Iuppiter, & Iovis cerebro
Nata, Mercurio obstetrice, Pallas.
Videsne ut nitidum micat serenum,
Ut nobis quoq; blandiantur auræ?
Ut salo faveant soloq; venti,
Nec cœlo minus? idq; maximè ipso
Brumæ tempore, quoq; aquosa regnant
Pisces sidera, Februoq; mense.
Fallor? parte an & altera Minervam
Neptuno video referre laudes
Et nostra sibi liberatione
Gratularier? ecce quàm benigna
Et grata nimis hic Deam, Deum illa
Salutant vice, copulantq; dextras:
Mutuuq; animis amant, amantur.
Nec à nomine jam suo Batavas
Lugdunum indigitare vult Athenas:
Nostra sed gerere ipsa ab urbe nomen
Et Lædana Minerva nuncupari,

Cedat Lovanium ergò Lugoduno,
Et cum Lovanio suo Duacum:
Et quantum est Academiarum in orbe.
Ecce nescio quid modò hac in urbe
Pisa, Parrisiis, Dolaq;, & ipsis
Majus nascitur Atticis Athenis.
Quas nunc à Batavis petant licebit
Non Galli modò, Scotiq; & Angli,
Aut Germani etiam: Sed & Latini,
Sed Græci, sed & ipsi Athenienses.
Athenas Itali Batavum ad amnem
Lugduni, cui præses est Minerva.
Huc concurrite, convolate Graiis
Pubes dedita Romulisq; Musis
Et quantum est juvenum venustiorum.
Huc ab auspiciis boni profecti
Omnes confluite undecunq; Ephebi;
Artis Palladiæ futuri alumni,
Non non Lanificæ illius vetustæ,
Aut Sellariolæ illius, sed hujus
Nostræ, quam Sophiam vocare Graci,
Romani Sapientiam suërunt:
Usu ac Mnemosine parente natam.
Merces ipsa sibi futura quæ sit,
Cum virtute suos beare sueta.
Ergo confluite undecunq; Ephebi,
Quo Phœbus vocat, & novem sorores,
Et quæ præsidet huic & his Minerva

Batavis

Batavis simul, exterisq; ab oris:
Sive à finitimis locis profecti
Zelandi, aut Frisii, aut Caninefates:
Cives deniq; quodq; in urbe tota est
Paulisper posita ferocitate,
Paulisper positis tuboq; & ense,
Iam nunc incipiant sitire Phœbum,
Fontesq; Aonios, & Hippocrenen
Lenæi laticis loco, atq; Zythi:
Et Permeßide velle inebriari,
Et pro cuspide terrea anserinam
Aptare articulis loquace crena.
Lanam qui modò carminare docti
Posthac carmina factitare discant.
At me Lovanium, scio, hic rogabit
Ubi Thessala Tempe, ubive Prata
Martinensia? vena ubi caballi?
Ubi consita vitibus juga, inq;
Quincuncem ordine mille collocati
Palmites? ubi jugiter fluentûm
Fontanæ obsecro origines aquarum?
Ubi Phocidis antrum, & Abraämi?
Ubi Lovaniensium arboreta?
Ubi, inquam, Dryades Oreadesq;?
Ubi umbræ spatiantibus voluptas,
Vmbræ frigus amabile, & tot horti
Et luci, nemorumq; amœnitates?
Lugduno hæc fateor deesse nostræ,

At non omnia. namq; & hic vireta,
Et campi, & viridi colore prata
Martinensibus æmula, atq; tempe:
Et magni plataniq;, porticuq;
Certantes placitæ ambulationes.
Ut tamen superemur his ab illa,
At certè haud superabimur nitore.
Culta aut munditie, in foris, viisq;
Et vicis, plateisq; quam videre est.
Queîs & flumineos licebit addas
Alveos Veteris Noviq; Rheni,
Nec Flævi minus, & Silæ atq; Marnæ,
Squammoso grege piscium refertos:
Vicinum Harlemium hinc, Abramideimq;,
Lædensemq; Lacum: altera inde parte
Arcis relliquias Britanniarum.
Ipso in littore, littoraliumq;
Catthorum prope rura: nec labore
Parta, à patre sed, absq; avis relicta
Vetustum, mea regna, Nordovicum.
Armamenta ubi Romulæ fuère
Gentis, fluminis ostiumq; quondam
Rheni: nunc mare navitis amicum,
Atq; hujus, velut aggeres, furori
Objecti tumuli objacent arenæ,
Nativis mare piscibus redundans,
At pleni Tumuli cuniculorum:
Quale apud Gradios nihil videre est.

Quid?

Quid? non & mare idem lavacra præbet?
Apta nare volentibus lavacra,
Sanè solstitialibus diebus.
In quibusq; minore cum periclo
Artus abluere, & fovere possint
Et musas simul & natare docti,
Quàm livente Duacúm in amne, vel qui
Tingit Lovaniensúm aratra Delus.
Non item superabimur laborum
Belli, insomniæ, & esuritionis
Civilis tolerantia, annuaq;
Ferenda obsidione, prodigisq;
Vitæ pectoribus, virilibusq;.
Non item superabimur profunda
Latitudine mœnium, atq; fossis,
Aut compagibus aggerum; ante quos jam
Repulsam toties tulere Iberi,
Et fecere periculum, quid esset
Cattorum generi movere bellum.
At vos nunc etiam hoc, & utriusq;
Exempla obsidij, famesq; terrent.
Suspectumq; ideò Lyceum habetis:
Ut qui signa sequi, ordinesq; habere,
In somni excubias obire cura,
Pulsu deniq; tympani repentè
Haud consueritis, aut tuba excitari:
Nedum ferre famem, sitim, gelu, æstum:
Nedum cominus eminusq;, certo

Ferro cominus, eminusq; plumbo
Extra mœnia cum hoste velitando,
Serra quotidie ire prœliatum.
Sed confidite jam, maresq; site:
Et metum obsidionis hunc Ibera
Linquentes puerisq; fœminisq;,
Vicinis date fluctibus ferendum.
Vanum, credite, res habet timorem hæc.
Quid? claves gerere haud videtis urbem hanc?
Videtis puto: sed quid ista signa
Velint, esse videmini inscientes.
At jam discite de Poëta amico.
Claves illa quidem gerit, petitas
Non à flamine, quiq; Rex Sacrorum
Horum è Pontifice, ut fores Olympi
Claudat, cùm lubet, obseretq; easdem,
Verum è Clavigero DEO bifronte:
Ianum claudere scilicet Quirini
Qui possit, Duce & auspice Aurasino.
Atqui is haud geminas gerit, sed unam
Dicit hîc aliquis: quod infiteri
Nec ausim. Sed & hocce cogitandum est.
Clusium esse DEVM, patulciumq;,
Atq; eò huic gemina usus esse clave.
Ut non sat tenet anchora una puppim.
Binos tutius una alitq; mater.
Duas urbs gerit ergo nostra claves,
Pacis symbola, cum Minervæ oliva,

Illa pace

Iſta pacifera Minerva diva,
Quæ mox obſidium ſecuta noſtrum eſt,
Dum ſeſe in gremium ſuæ Diones
Feſſus reÿcit, & perenni amoris
Victus vulnere, paululum quietis
Indulget ſibi, prælÿsq; Mavors.
Et ſic ſuſpiciens ſuos ad ignes
Cervice & tereti DEVS repoſta
Dilectis inhiat gemens ocellis,
Paſcitq; indomitos amore viſus :
Ipſa pallida dum ſedet, ſibiq;
Hinc diffidere, & ad ſuos parare,
Salvo corpore dum licet, regreſſus
Videtur, metuens ſibi ſuiq;
Inquiſitio, caſui propinquam
Ardor Mattiacus, Bataviciusq;
Iuſto ne pede proruat columnam,
Inquiſitio Mauritiana dico.
At vos fingite majus excitari
Bellum in mœnia noſtra, tertiumq;
Inſtare obſidium, ut ſolet, Lycéo huic
Et nobis etiam viriq; & arma,
Et nobis animi vigent & ætas,
Annonæ ſuperantq; commeatus :
Non ut nuper, & in diem parati
Aut unum obſidio, alterumq; menſem :
Sed qui vel ſatis hunc, & in ſequentem
Sint annum, aut etiam puto ſuperſint.

Ait

Aut nullo repetemur ergò Marte,
Aut Marti agmina nostro Ibera cedent.
Hosnè scilicet extimere nobis
Convenire videtur, aut decere,
Quorum jam toties notis inusta
Terga vidimus, & pedes fugaces?
Huc ergò, huc studiosa ades Iuventus.
Hic certè pater omnium leporum
Noster Iunius, ille Erasmus alter
Hujus temporis, alter & Secundus,
Expectatur & indies & horas:
Iam pridemque puto advolasset ad nos,
Douzæ *seque stitisset ille, si non*
Affixus, lateris dolore, lecto,
Ac tetro ulcere præpeditus esset.
Adsis ò pater omnium leporum,
Adsis alter Erasmus, & Secundus
Nostri temporis, erudite Juni:
Nostra commoda nec morare doctor.
Soli nam sine te videmur esse:
Et nostrum sine te vacans, & ipso
Infrequentius Axeno Lyceum est.
At tu si venias, Scholæ repentè
Vertet se facies, frequentiaque
Cedet Lovanium ipsa Lugoduno,
Et cum Lovanio sua Duacum.
Quin Syrtes habitare si vadosas,
Aut Getula mapalia, impiove

Sparsa

Sparsa saxa Promethei cruore
Velis incolere, aut casas Scytharum:
Statim montibus Aönum relictis
Tecum illo incipient migrare Musæ:
Et te numina cuncta prosequentur:
Seu quocunq; loco futurus, illic
Fiat Gymnasium frequens necesse est.
Idem de te etiam Petræe dictum
Fortunate senex velim Tiara,
Linguarum pariter trium perito.
Huc ergò, huc studiosa ades Iuventus.
Et hic vos penetralia ad Themistis,
Ducent cum Neburgio, Iodocus
Meninus, Neostadiusq;, sacram
Scripturam Colobasio explicante.
Hic & Paonias Forestus artes
Suamq; Uranien docet Gerardus,
Et totum radio pererrat orbem.
Nec deest Sapientiæ Professor
Culto Grotius ore, mecum in uno
Qui ludo fuit eruditus olim.
Et qui Rhetoricam, Eloquentiamq;
Docendæ meritus praeesse pubi,
Facundi Ciceronis explicator
Noster Damnius, haud malo atq; damno,
At bono omnibus usui futurus.
Húc ergò, húc studiosa ades juventus.
Parsuros neq; sumptibus putate

 ulli,

Ullis, aut operæ Ordines Batavos,
Viros quo minus undequaq; summos,
Auctu proposito stipendiorum,
Quocunq; in genere eruditionis,
Accitos vel ab ultimis Britannis
Ad se pertrahere usu & ære possint.
Quæ si vos nequeunt movere cuncta,
At saltem moveat novi Lycei
Jussu Principis & Popli peracta
Consecratio, dedicatióq;.
Hoc ipsum neq; vos fugare debet,
Recens quod modò dixerim dicatum,
Nuperumq; adeò, novitiumq;.
Omnes hoc Academiæ vetustæ,
Cùm primum instituî, atq; inaugurari
Cœptæ, hoc Lovanium, & volente Rege
Nostris temporibus fuit Duacum.
Vos tantum hoc animo velim exputetis,
Id quod nunc subitum & novum videtur,
An possit fieri vetus Lyceum.

JANI GRUTERI
In Nuptias FRIDERICI IV. COM. PAL. AD Rhenum & Loisæ Julianæ Principis Uraniæ Comitis Nassoviæ.
CARMEN III.

QVIS *non conjugium felix faustumq; precetur*
Seu Friderice *tibi, sive* Loisa *tibi?*

Quin

Quin par sub cœlo nequeat componier ullum,
Unius deceat quod magis esse jugi.
Relligio una eademq; piè curatur utriq;,
Cuncta superstitio cui popularis abest.
Ætas pænè eadem est ambobus: & ut tibi primum
Purpureis prodit flos, Friderice, *genis;*
Sic socia ad formæ summum procedit honorem,
Et fit quotidie pulcra mage atq; mage.
Vena tibi Heroo de sanguine ducitur: ipsa
Nec minus à claris stemmata texit avis.
De meliore tibi stant pectora ficta metallo:
Ipsa pol & sexus gemma serena sui est.
Parca tibi puero vitæ fila improba nevit:
Nevit & illa ipsi vellera nigra nimis.
Hinc vobis cari rapiuntur morte parentes,
Illorum cum jam maximus usus erat.
Sed benè habet. pertæsa Atropos tam tristia semper
Nere, colum Phryxi mox amicivit ove.
Iamq; deinde tibi Friderice, *tibiq;* Loisa
Vsq; usq; expectes aurea pensa jubet;
Aurea pensa, nihil tenebrosi habitura, tametsi
Tu Pylij peragas Deiphobæ ipsa dies.

PAULUS MELISSUS
FRIDERICO IV. ELECT.
Palatino felicissimum & annum & conjugium esse animo precatur

CARMEN IV.

LÆTIVS

LÆTIUS auspicium fatis melioribus anni
Ducimus, abrupto stamine tristitiæ;
Applausumq; novis cœlo volvente calendis
Incolumes, hilari non sine mente, damus.
Tu linguâ Friderice favens, testare benignis
Cœlitibus læti pectoris indicium.
Argumenta tuo superant quam plurima ovatu,
Vt novus insolitâ voce triumphus eat.
Non decet heic animo veterem instaurare dolorem,
Nec dare lamentis funeribusq; locum.
Morta vacat, clausisq; latet Libitina cavernis,
Nec præmaturè corpora Parca rapit.
Subjectis benè pacatis, justisq; gubernis
Per rata deducto fœdera consilio,
Quid rebus salvis habeam tibi deinde precari,
Optime Dux, Musæ spes animosa meæ;
Quam thalamis ut pulchra tuis innubat, & ultrò
Præda tuis fiat Nympha Cupidinibus:
Nympha DEI nutu tibi designata, nepotum
Multiplicans longâ posteritate genus;
Ex qua suscipias sobolem florentibus annis,
Sessuram patrio dignius in solio,
Crudeles hodie quàm consuevere Tyranni,
Queis mera fundendi vena cruoris inest.
Alma Venus, non illa probris polluta nefandis.
Non illa incestis spurca libidinibus,
Sed pia, sed sancta & fidi bona mater Amoris,
Huc ades, & nostro prospice Diva Duci;

Prospice,


Prospice, ut ingenuam per te sit adeptus amantem,
Et magnâ genitam, numina rara, domo.
Illa & Semideas æquarit & Heroinas,
Quas tulit antiquis nobile germen avis:
Qualis Atalante, qualis Cepheia virgo,
Ischomache qualis, sive Aridna fuit.
Dignus hic est unus, qui digna uxore beetur,
Propágans gentis semina Rhenigenæ.
O ubicumq; hæres insignes fronte virago,
Nupta Palatino ritè futura viro,
Prode, age te nobis manifesta in luce videndum,
Facq; Ducem voti quam citò participem.
Fallimur an crebro te suspiratibus haustis
Ille suas gestit tangere delicias,
Et tecum licitos per amorem jungere somnos,
Dimidiumq; sui cernere adesse palam?
Ecce dies prosper festos Hymenæus adornat,
Et vestes limbo versicolore parat:
Quæq; opus ad geniale decent adhiberier, illa
Sint præstò curat strenuus atq; vigil.
Seria non deerunt, nec item ludicra per hastas
Et gladios, Martis se simulacra feri.
Cernere erit ludi omne genus, genus omne jocantum,
Auferet hic lauros, auferet ille oleas.
Certatim contendet honos evincere palmam;
Constrepet in laudes tibia multa tuas.
Materiem dabis ipse tui Friderice *canendi*
Primus, & ante alios clarior unus eris.

Heic

Heic opus est vires omnesq; intendere nervos;
Scribendum est alijs, nec velut antè, modis.
Gaudebis, vultuq; meos laudate sereno
Accipies numeros, Aoniamq; chelyn;
Disquiresq;, tuo vati quæ dona rependas,
Dona per æternos commemoranda dies.
Nil ego te posco, canum nisi meq; victum
Vt foveas tutis Dux bone limitibus;
Ædificesq; Larem, non pro me (si tamen oro
Pro me, dum vitæ munere fungor adhuc)
Sed pro perpetuæ præfecto Bibliothecæ,
Cui post me fuerit credita cura librûm.
Annue. sic longos tibi Iuppiter annuat annos
Sic Iuno sponsam det tibi prona tuam.



J. GRI-



J. GRISIUS TURING. LECTORI CANDIDO.

ERANT plura, Lector humanissime, quæ hîc poteram extradere: ne verò justam libelli magnitudinem excederent, manum aliquando de tabulâ removendam esse duxi. Tu verò quæ jamnunc à me tibi exhibita sunt, consules boni, cæteraq; alia exspectabis occasione, & si quæ fortè mendæ, me inscio & absente, irrepserint, pro candore tuo & humanitate vel condonabis, vel corriges.

V.



Diese Ausg. ohne Bei

